Quinto QUERITUR de hoc quod dicit quod 'si principium est, aliquid vel aliqua sunt'. CONTRA: videtur quod sit falsum, quia principium principiorum verissime est principium; cum ergo ipsum sit ab eterno, aliquid vel aliqua erunt ab eterno, alia ab ipso, quod falsum est. Preterea, principium est ante quod nichil et post quod aliud; ergo, si primum principium sit, aliqua vel aliquod erunt, ex quo post ipsum esse aliud sequitur. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod principii substantia est ab eterno, sicut dictum est, non tamen principium sub hac intentione est ab eterno. Et quantum ad intentionem intelligitur actoritas. Set si contra hoc fiat oppositio, quod in ipso principio principiorum facta est mutatio cum de non-principio factum sit principium; item in ipso est jam relatio que est accidens, cum sit principium in genere relationis: que maxime sunt inconvenientia. Ad primum, dicendum quod in ipso nulla est mutatio, quia ab eterno voluntatem habuit ut res procederent, ita ut principium fieret pro illo instanti in quo producit, non tamen ut eas produceret ab eterno habuit voluntatem. Et est simile de habente voluntatem legendi in nonis; quando legit, nulla est in eo mutatio a parte voluntatis, sicut nec in primo; set si non mutetur a parte voluntatis, nec a parte alterius considerationis, cum omnia que sunt in ipso sint eadem, item potentie ⟨sit⟩ non limitate nec in operando fatigate. Ad secundum, dicendum quod quedam sunt relativa convertibilia, quedam non: convertibilia, ut dupplex dimidium et unum, quodcumque talium concernit hoc accidens quod est relatio; non-convertibilia, ut causa causatum, factor factura, creator creatura, et de talibus proprie quod est ut effectus se habet ad illud quod est efficiens, et non e contrario: unde omnino concretum est hujusmodi accidens uni, licet respiciat alterum.

Sexto QUERITUR cur artificis interest errores circa principia incidentes removere. Ad quod, disputatione cessante, dicendum quod quidam sunt errores incidentes supra principia. Et contra tales nullius artificis specialis

8 esse] est *MS.* 16 mutatio] mutuatio *MS.* 17 ita] quod ita *MS.* 23 item] sitm *MS.*

interest disputare cum speciales scientie sua principia non transcendant. Si enim artificis specialis sua principia negarentur, non haberet ulterius ex quo posset procedere; set interest dialectici, cum dicatur quod dyalectica ad omnia methaphysicorum principia viam habet, et methaphysici, cum nobis in Mathephysicis pluries commemoret philosophus quod illi ⟨sit⟩ stabilire scientie subjecta principia ⟨si⟩ negare contingit; set differenter quia dyalecticus per communes intentiones, set methaphysicus per proprias intentiones ipsarum. Et hujusmodi errores in principio doctrine ponuntur, ut in hac scientia et in libro *De Anima*; si autem ibi reprobentur, illi artifices speciales modum dyalectici et methaphysici accipiunt. Quidam autem sunt errores consequentes ad principia, et contra tales debet proprius vel specialis artifex disputare, et tales multotiens in doctrinis reprobantur.

Septimo QUERITUR de hoc quod dicit *in littera* 'subjiciantur autem nobis que sunt aut omnia aut quedam moveri', et hoc est querere utrum omnia naturalia sint mobilia, quia primum de quo agitur in .4. non est mobile, nec anima nisi per accidens, nec passiones ut somnus, memoria, et hujusmodi. Ad quod notando, dicendum quod in scientia naturali quedam considerantur in ratione subjecti communis, ut corpus mobile; quedam autem in ratione partium, ut corpus mobile ad formam mixtionis, ut impressiones, et ad formam additam mixtioni, ut plante et animalia, et hujusmodi movent et moventur; quedam in ratione passionis, ut sompnus et hujusmodi, et hec non movent, set per accidens moventur, scilicet per substantiam; quedam in ratione principii conjuncti, ut anima que movet per accidens movetur, aut separati qui movet et non movetur nec per se nec per accidens, et propter ⟨hoc⟩ dicit 'aut omnia aut quedam'. Si queratur ibi quare non loquatur de quiete vel statu, cum natura sit principium motus et quietis, dicendum quod quies per modum privationis unum nichil aliud est quam privatio motus, set privatio per suum habitum intelligitur; et etiam quia physicus principaliter considerat motum, quia res naturales

1 interest] artificis interest *MS.* 6 in] *iter. MS.* 17 aut[1]] natura *MS* 20 somnus] sumpnus *MS.* 34 nichil] vel *MS.*

in esse naturali per motum conservantur: unde, cessante motu, cessabit generatio et omnis operatio nature.

Octavo QUERITUR de hoc quod dicitur quod 'ens multipliciter dicitur'. Videtur quod non: nichil quod est simpliciter dicitur multipliciter, quia hec opponuntur; set ens est hujusmodi, quia scribitur in *Methaphysica* quod 'quanto aliquid simplicius, tanto in pluribus reperitur', et in *De Causis* 'nichil est latius ente', ergo etc. CONTRA: quod comprehensivum ⟨est⟩ totius multitudinis est multiplex vel multipliciter dictum; set ens est hujusmodi, in *De Causis*, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod ens idem quod est est simplex, set quantum ad ea in quibus reperitur est multiplex: unde simplicissimum est in genere creatorum secundum suam latitudinem, set non est simplicissimum a privatione omnimode multitudinis sicut primum. Per hoc solvitur argumentum.

Nono QUERITUR de hoc quod dicit *in litera* quod passiones non sunt separabiles a subjectis. Et videtur quod sint separabiles: que per essentiam differunt separabilia sunt, quia separatio causatur ex diversitate; set passiones et substantie per essentiam differunt, ergo etc. CONTRA: omne causatum si nature proprie relinquatur, non suscepta influentia cause, statim corrumpitur, quia ab eadem est esse et conservatio; set subjectum vel substantia causa est passionum, ut scribitur pluries a philosopho, ergo, relicta substantia et ulterius influentia substantie a passionibus, corrumpentur passiones; ergo non sunt separabiles.

Propter hoc QUERITUR utrum a passionibus separetur vel sit separabilis ⟨substantia⟩. Et videtur quod non: quia omnis substantia quanta aut continua aut discreta, ergo etc. CONTRA: quod in seipso et a se habet principium sue existentie ab omni alio potest separari; set substantia est hujusmodi formaliter, ergo etc. SOLUTIO: dicendum quod uno modo contingit loqui de passionibus quantum ad suam existentiam naturalem vel esse actuale, et sic non sunt separabiles a substantiis; alio modo quantum ad essentiam, et sic dependent a substantia: unde accidentia proprie non

36 separabiles] separabilia *MS.*

habent essentias, quia dependent eorum essentie a substantiis, et essentia est rei quiditas nomine absoluto, hoc tamen modo separabiles, quia hec essentia non est illa, set idem erat esse substantie et accidentium. Similiter de substantia contingit loqui duppliciter; aut in quantum substantia, et sic per se stat, quia in se habet principium sue existentie et sic est separabilis, nunquam tamen separata, et propter hoc indicium accidentium et non sui; aut in quantum est naturalis, et sic qualis et quanta, nec separabilis nec separata. Per hoc solvitur argumentum.

Decimo QUERITUR de hoc quod dicit quod infiniti ratio quantitati congruit. Et videtur quod non: quia dicit Aristoteles in . . . quod infinitum est ut materia, et ita ratio infiniti materie congruit et non quantitati. CONTRA: infinitum est passio per appositionem et divisionem derelicta; appositio et divisio congruunt quantitati, quia non potest aliquid apponi vel dividi nisi quantum, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod subjectum in quo radicantur et figuntur finitum et infinitum est materia, set in quo manifestantur et apparent est quantitas. Et NOTA quod quedam est infinitas ex appositione et divisione causata, et sic est in quantitate; alia est per indifferentiam potentie ad plura vel infinita, quod est in materia. Et per hoc solvitur argumentum.

Undecimo QUERITUR cui proprius conveniat ratio finiti et infiniti, utrum quantitati continue aut discrete. Quod continue, videtur: ex divisione continui causatur discretum; ergo ex infinitate in continuis causabitur infinitum in discretis. CONTRA: dicit Boethius in *Arismetica* quod 'omnia ratione numeri sunt formata': et ita numerus est prima ratio producendi, et ita cum numerus sit in genere discretorum, quantitas discreta precedit continuam, et ita ⟨cum⟩ hec passio que est infinitum insit utrique, proprius inerit discrete quam continue. ⟨SOLUTIO⟩: ad quod dicendum quod dupplex est discretio; quedam est absque ordine

13 *Blank in MS.* 19 figuntur] finguntur *MS.* 20 m.e.a.] manifestatur et apparet *MS.* 25, 33 proprius]per prius *MS.* 28 continuis] coniti *MS.*

naturali et consequentia, et hec est que causatur ex divisione continui, hec sequitur continuum; alia est que conservat naturalem ordinem et consequentiam et hec est ratio numeralis, et hec precedit. Et NOTA hic quod quedam est analoga causalitas, et hec impedit genus, ut ens dicitur de substantia et de accidente et secundum causalitatem, quia secunda causa accidentium; alia est ordinis solum, et hec non impedit, quia sic dicitur quantitas de continua et discreta.

Duodecimo QUERITUR de hoc quod ⟨dicit⟩ conclusio de toto et de parte, utrum scilicet sint unum et idem. | Ad quod f. 6 b 1.
dicendum quod quoddam est totum quod dividitur in partes sibi similes secundum speciem, dissimiles secundum numerum et materiam, ut aqua, et tale idem est cum suis partibus et e contrario; aliud est totum quod dividitur in partes dissimiles secundum speciem, numerum, et materiam, et tale non est idem cum suis partibus.

Tertiodecimo QUERITUR quare hic ponit tantum .3. modos unius, in *Methaphysica* multo plures. Ad quod dicendum quod hic ponit illos qui sue intentioni competunt; unde methaphysicus plus discernit et considerat quam physicus, et propter hoc apud ipsum plures sunt, ut patebit. De sufficientia NOTANDUM quod unum aut est omnino unum, et sic unum indivisibilitate; aut non. Et hoc duppliciter; aut unum actu et plura potentia, et sic unum continuatione; aut unum re plura nomine, et sic unum ratione. Exemplum de istis: punctus, linea, vapa, vinum.

Hic primo QUERITUR utrum unum sit esse multa vel e contrario, et hoc gratia opinantium omnia esse unum. Et videtur quod sic: dicit Aristoteles 'indivisum lignum idem est seipso diviso'; set lignum indivisum unum, divisum autem duo vel plura, ergo unum idem est duobus, ergo unum est multa. CONTRA: causa non est causatum; set unum causa multorum, quia unitas est causa multitudinis sive principium, quia omnis multitudo ad unitatem reducitur, ergo unum non est multa. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc dicendum

5 causalitas] causalitatis *MS.* 10 *Blank in MS.*

quod in eodem genere loquendo non est multa unum nec e contrario. Unde multa actu nunquam sunt unum actu, set multa in potentia unum sunt actu. Ut totum quod est actu unum plures partes est potentia; et plura actu sunt unum potentia, ut partes sunt totum, similiter unum subjecto plura sunt ratione, ut subjectum et accidens. Per hoc solvuntur argumenta.

Secundo QUERITUR utrum sit tantum unum. Et videtur quod sic: non existente causa multitudinis et distinctionis in rebus, nulla est multitudo nec distinctio; set non ⟨est⟩ aliqua causa multitudinis et distinctionis, ergo etc. Major de se patet; minor sic probatur: quia principium intra, quod est materia, non est causa multitudinis et distinctionis, quia in secundo *Methaphysice* scribitur quod in materia nichil est distinctum; item, nec principium extra, quod est agens. PROBATIO: quia 'idem semper idem manens semper facit idem'; set primum agens semper manens est unum et idem, ergo semper faciet unum et idem; nichil ergo plura vel divisa. CONTRA: cujuslibet agentis res in esse producentis ex nichilo est res productas distinguere et ordinare; set primum agens est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia agens ex nichilo potest supra totam rei substantiam, et ita res distinguit, ordinat, et unit; minor est evidens. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod quedam est distinctio rerum in primo exitu, et hec est ab agente; quedam in secundo. Et hec est dupplex; quia unum habet totum a materia et hoc originaliter; secundum a forma et hoc completive. Unde NOTA quod perfectum in tribus consistit; ibi enim est substantia, virtus, et operatio: quibus tribus existentibus in qualibet re creata, perfecta nobilissima trinitas figuratur, que per potentiam, sapientiam, bonitatem, personaliter distinguitur, summam simplicitatem realem observando: potentia enim res in esse producit, et sapientia disponit, ordinat, et distinguit, et bonitas decorem tribuit. Ad argumentum, dicendum primo ad hoc quod opponit de

6 plura sunt] *iter. MS.* 12 intra] extra *MS.* 15 extra] ex *MS.* 24 distinctio] dinctio *MS.* 31 potentiam] primam *MS.* 34 decorem] disteorem *MS.*

materia, quod in materia nichil est distinctum quantum ad essentiam materie et non secundum esse. Unde omnis materia sub formis diversis distincta est et diversa ab alia. Ad secundam partem, dicendum quod dupplex est agens; quoddam quod est natura, et de hoc intelligit actoritas, scilicet quod 'idem manens' etc.; aliud est agens quod est voluntas, quod per libertatem arbitrii effectus diversos producit, ipse tamen manet immobilis, cum sit ejus potentia non limitata. Unde tantam multitudinem creavit ut sua potentia manifestaretur, non propter sui indigentiam, set propter res, ut cognita potentia, sapientia, bonitate, actorem timeat creatura et diligat. Necnon etiam res multa sunt in ipso opifice; unum igitur propter convertibilitatem est entis. Et NOTANDUM quod unum et ens adequantur in suppositis et in predicatione vel ambitu, tamen unum addit supra ens discretionem; unde ente et uno nichil latius, tamen unum addit supra ens. Et est simile de hoc quod dico 'hic homo' et 'homo', que adequantur in suppositis: unde de quocunque supposito possum dicere de eodem 'hic est homo'; hoc quod dico tamen 'hic homo' addit discretionem suppositi supra le 'homo'. NOTA etiam ibi quod unum multipliciter dicitur: primo unitate essentie, sic universale; secundo modo unitate suppositi, ut Sor; tertio aggregationis, et hoc aut totalitate aut appositione, ut homo vel domus; .4. ordinatione continua et ambitu, ut mundus; .5. causalitate, ut primum.

Tertio QUERITUR utrum universum sit ingenitum secundum opinionem Mellisi. Videtur quod sic: omne quod generatur generatur ex materia que est extra in generante et in generato intra; set extra universum nichil est, ergo non potest generari, ergo est ingenitum. AD IDEM: omnis generatio et motus a contrario in contrarium; set universo nichil est contrarium, ergo non potest generari. AD IDEM: partes sunt similes toti et totum partibus, ut in *hoc libro* primo scribitur; set quedam partes universi sunt ingenerabiles et incorruptibiles, ut dicitur in *De Celo et Mundo*, ut

12 et] et in *MS*. 13 igitur propter] p. i. *MS*. 25 .4.] et *MS*. ambitu] ambitus *MS*. 29 generante] generanta *MS*.

celum et stelle, ergo ipsum est ingenerabile. CONTRA: generatio nichil aliud est quam egressio a non-esse in esse; set ⟨universum⟩ exivit a non-esse in esse, quia non ab eterno; ergo est generatum. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc dicendum quod triplex est generatio, communiter loquendo de generatione; scilicet causalis, naturalis, accidentalis. In prima, subjectum est nichil simpliciter, que proprie creatio nuncupatur, cujus actor primum; in secunda, materia que est ens in potentia, que proprie generatio dicitur, cujus actor immediatus natura; in tertia, ens actuale completum, et hec est compositio proprie, cujus actor est artifex mechanicus.

Quarto QUERITUR utrum ipsum sit infinitum. Et videtur quod sic: finito potest fieri additio, et non infinito, in *De Celo et Mundo*; set universo non potest fieri additio, ergo universum est infinitum. AD IDEM: omne finitum et terminatum idem; set universum non est terminatum, quia extra ipsum nichil quod possit ipsum terminare, ergo non est finitum, ergo infinitum. CONTRA: omnis magnitudo terminos habet sue diffinitionis, ad quos etiam suus status est limitatus; set universum est quedam multitudo, ergo etc.; set omne tale finitum. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod infinitum uno modo dicitur per privationem principii et finis sicut primum: secundo modo per privationem finis, ut intelligentia; tertio modo per extensionem, et tale respuit natura. Ad primum igitur argumentum, dicendum quod si secundum rem non sit possibilis additio, nec secundum ymaginationem naturalem que non transcendit sensum, tamen possibilis est secundum mathematicam et divinam, que se tenet a parte intellectus: unde si supra lineam dividentem circulum universi per medium vellet quis extollere triangulum equilaterum, oporteret linee intellecte circulus ⟨esse⟩ ultra circumferentiam, et ita fieret additio quantum ad ymaginationem. Ad secundum, dicendum quod res prime in suis generibus seipsis finite sunt formaliter, et tale est universum; res autem posteriores primis terminantur. Et NOTA hic quod terminus indivisibilis, ut punctus, non est finitus nec infinitus, ut dicit *in*

4 generatum] generatus *MS.* 13 additio] additione *MS.* 19 limitatus] finita *MS.* 21 infinitum] finitum *MS.*

littera, quia finitum componitur ex finiente et finibili, sicut motum ex movente et mobili.

Quinto QUERITUR utrum sit immobile. Videtur quod sic: quia moveri est dissimiliter se habere nunc et prius, ut scribitur in *Physicis*; set universum, cum sit ex tota materia sua, eodem modo se habet nunc et prius, ergo immobile: non enim deficit sibi aliquid, cum omnia contineat: propter quod ergo moveretur? AD IDEM: nichil quod est sempiterne fixionis est mobile; universum est hujusmodi, in *De Celo et Mundo*, ergo etc. AD IDEM: omnis motus est a contrario in contrarium, in *Physicis*; set universum non habet contrarium; ergo neque motum. CONTRA: simile est totum partibus et partes toti; set partes universi sunt mobiles, quoad situm ut corpora supercelestia, quoad formam ut elementa; ergo ipsum totum erit mobile. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod universum secundum formam et secundum se totum est immobile: tamen quedam partes ejus mobiles sunt, ut que moventur ad situm ut stelle; quedam mobiles et transmutabiles, scilicet mobiles ad formam, ut elementa. Nec est inconveniens quod in hoc *primo libro* dicit actor quod non est inconveniens certam aquam secundum sui totalitatem esse immobilem, quasdam tamen ejus partes moveri. Ad primum argumentum, dicendum quod quantum ad substantiam similiter se habent nunc et prius, et de hoc procedit argumentum, non tamen quantum ad operationem. Per hoc solvitur secundum. Ad tertium, dicendum quod universo nichil est contrarium ratione forme, set ratione situs potest aliquid esse contrarium, saltem quantum ad partes ejus. Ad illud quod contradicit, scilicet quod totum et partes sunt similes, solvetur inferius.

Sexto QUERITUR utrum accidens sit id quod vere est. Et videtur quod sic: omne quod communicat cum eo quod vere est, in eo quod vere est, est id quod vere est; accidens est hujusmodi, quia accidens communicat cum substantia in ente; set ens est illud per quod substantia vere est—nisi enim esset ens non esset vere, ergo accidens est illud quod vere est. AD IDEM: omne habens essentiam diversam et distinctam ab aliis est ens vere et completum, quia essentia

non est nisi rei complete, cum essentia dicat quiditatem re ⟨et⟩ nomine absolute; set accidentia sunt hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: que communia sunt cause et causato verius insunt et per prius cause quam causato; set accidens est causa substantie, ergo cum essentia insit substantie et accidenti, verius et per prius inerit accidenti quam substantie, et sic accidens est quod vere est multofortius quam substantia. Minor patet, quia alteratio que est quoddam accidens est causa generationis, et generatio substantie, ergo et accidens substantie. CONTRA: nichil quod habet principia sue existentie radicata in alio est id quod vere est; set accidens est hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod illud quod vere est uno modo dicitur illud a quo omnia sunt et ipsum a nullo, et sic primum; secundo modo illud quod f. 6 b 2. habet | continuam durationem, ut substantie celestes; tertio modo illud quod seipso formaliter est et alia ab ipso, et sic principia in quolibet genere; .4. modo illud quod habet principia sue existentie radicata in seipso, et sic substantia. Ad primum argumentum, dicendum quod si eodem modo communicaret accidens cum substantia in ente, major esset vera, set minor tunc falsa. Ad secundum patet solutio, quod omnia accidentia dependent a substantiis, quamvis sint diverse ab ipsis: unde, proprie loquendo, accidentis non est essentia. Ad tertium, dicendum quod accidens est causa conferens et disponens substantiarum, et non efficiens vel producens; unde in fieri substantiarum coadjuvat et disponit accidens ad productionem substantiarum, et non in facto esse consistit. Vel dicendum quod de substantia contingit loqui duppliciter: et in eo quod substantia, et hoc modo nichil agit accidens ad substantiam; et in eo quod naturalis, et sic ad producendum disponit.

Sicut autem physici dicunt, duo modi sunt, etc.

Hic primo QUERITUR utrum rarum et densum sint principia in natura. Secundum positionem quorundam videtur quod sic: quidam introducunt formas substantiales in materia

3 sunt] *iter. MS.* 35 quidam] quedem *MS.*

vel sunt principia introducenda; set rarum et densum sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia nichil aliud est principium quam forma introducta in materia; minor patet, quia quando densatur aqua citius inprimitur in ipsa forma aerea. AD IDEM: quecunque sunt principia motus, sunt principia nature; set sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia natura est principium motus et natura principaliter intendit motum; quecunque ergo juvant ad motum ⟨sunt⟩ principia naturalia; minor patet, quia rarum est principium motus sursum, densum deorsum. CONTRA: dispositiones materie ad naturam reducuntur; set rarum et densum sunt hujusmodi, ut dicitur supra secundum *De Generatione*, ergo etc. QUOD CONCEDO. Unde per essentiam non differunt a materia rarum et densum; unde non sunt principia, set sunt conditiones vel dispositiones disponentes ad agendum. Ad argumentum, dicendum quod introducere formam in materia hoc est duppliciter; aut effective, et sic duo contraria, scilicet forma et privatio; aut dispositive, et sic hujusmodi conditiones vel dispositiones, rarum et densum et hujusmodi. Per hoc solvitur.

Secundo QUERITUR utrum magnum et parvum sint principia nature. Et videtur quod sic: quecunque informantur formis perfectivis principiorum sunt principia; set sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia forma dat esse et perficit: minor patet, quia excellentia et defectus forma sunt principiorum, ut inferius videbitur, et hec in magno et parvo videntur. AD IDEM: ⟨que⟩ sunt causa debilitationis et fortitudinis sunt principia nature; set sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia quando forma ignis ⟨advenit⟩ et forma aeris debilitatur, tunc forma ignis in aere inprimitur; minor patet per hoc quod magnum consistit in extencione partium continui, que est causa debilitatis, et parvum in earum compressione, que est causa fortitudinis. CONTRA: principia nature sunt contraria, ut probatur in *hoc libro*; set hec non sunt hujusmodi, ut scribitur in *capitulo de quantitate*, ergo non sunt principia nature. AD IDEM: in

32 parvum] partuum *MS.*

Physicis scribitur quod 'in ad quid non est motus'; set hec sunt ad quid, ergo in ipsis non est motus; set principia nature sunt principia motus, ergo hec non sunt principia nature. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod magnum et parvum uno modo dicunt magis et minus de specie et de materia, ut ignis major terra specie, minor materia terra e contrario; et sic sunt proprietates elementorum et non conditiones principiorum; secundo dicunt sub ratione excellentie et defectus; tertio dicuntur per extensionem partium et compressionem; et istis .2. duobus modis conferentie ad producendum nature sunt principia. Per hoc solvuntur argumenta.

Tertio QUERITUR utrum calidum et frigidum sint principia. Et videtur quod sic: quia principia sunt ex quibus fit aliud; set hec sunt hujusmodi, quia ut scribitur .2. *De Generatione*, hee sunt forme prime ante quas non sunt alie, set omnes ab istis causantur, ergo hec sunt principia. CONTRA: principia nature non fiunt ex alterutris; set ex calido fit frigidum et e contrario, ergo hec non sunt principia. Major et minor patent in hoc primo *libro*. SOLUTIO: ad hoc notandum ⟨quod⟩ de principiis contingit loqui duppliciter; uno modo de materialibus, secundo de formalibus. ITEM: de materialibus dupplicitur; aut loquimur de reali et fixo, et sic materia; aut de principio quod est secundum anologiam et proportionem secundum quod subicitur transmutationibus, et sic non est materia, set potest quantum potentia quelibet et hujusmodi. Similiter de formalibus dupplicitur; aut in ratione instrumenti et sic calidum, et alia est frigidum, humidum, siccum; aut in ratione effectivi, et sic duo contraria, forma scilicet et privatio. Per hoc solvuntur argumenta.

Quarto QUERITUR que istarum qualitatum vel dispositionum, scilicet rarum et densum, calidum, frigidum, sint priores. Ad quod videndo: dicendum quod de istis qualitatibus contingit loqui dupplicitur; aut in primo exitu, et sic rarum et densum priores sunt; aut in secundo. Et hoc dupplicitur; aut quantum ad essentiam, et sic adhuc priores,

1 quid] quod *MS*. 6 minor] mior *MS*. 29 aut] autem *MS*.

quia innate sunt materie; aut in esse actuali et completo, et sic posteriores, quia ab illis causantur. Omnes enim alie qualitates, ut album, nigrum, et hujusmodi, ab istis .4., scilicet calidum etc. oriuntur.

Quinto QUERITUR utrum elementa sint principia. Et videtur quod sic: quia prima principia sunt illa in quibus prima contraria salvantur, quia mediantibus illis contrarietatibus principia operantur; set elementa sunt hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: principia sunt ex quibus res componuntur et in quibus resolvuntur; set elementa sunt hujusmodi, ergo etc. CONTRA: eadem sunt principia sempiternorum et corruptibilium, quia ex principiis omnia fiunt; set elementa non sunt principia sempiternorum, quia sempiterna a contrarietate removentur, et non elementa, ergo elementa non sunt principia. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod uno modo dicuntur principia, in quibus ratio universalis principii salvatur, sicut materia, forma, privatio: hec enim in omnibus repperiuntur tam sempiternis quam corruptibilibus; secundo modo dicuntur principia ea non in quibus ratio universalis principiorum salvatur, set ex quibus generabilia et corruptibilia componuntur, et sic elementa. Per hoc solvitur primum argumentum. Ad secundum, dicendum quod si prima contrarietas, non tamen prima universalis ratio contrarietatis, que in omnibus reperitur, unde in genere illo scilicet generalissimum prima contrarietas est in elementis: unde elementa sunt principia generalissima et corpora componentia; set preter ista ⟨que⟩ exiguntur sunt aliqua regulantia compositionem et cursum istum.

Sexto QUERITUR utrum mixtum vel chaos sint principium secundum Anaxagoram. Et videtur quod sic: in .4. *Methaphysice* scribitur quod in eodem potentia precedit mixtum et incompletum, et completum; set ut omnia sunt potentia confusa sunt secundum Anaxagoram, ergo distinctionem rerum et actualitatem precedit confusio vel chaos, que principia erunt respectu fiendorum. AD IDEM: si res vel elementa primo exitu fuissent distincta, nunquam elementa transmutarentur; quia cum natura semper appetat quod

melius est, nobiliora, cum essent distincta, nunquam transmutarentur in melius, ergo est ponere confusionem ipsorum vel chaos; ⟨chaos⟩ ergo erit principium. QUOD CONCEDO. Unde cujus fuit res creare ejus fuit eas ordinare; unde causa totalis et distincta fuit voluntas sapientissimi producentis, secunda fuit congruentia rerum. Ad primum argumentum, dicendum quod procedit ac si essent fienda in potentia materie solum; set hoc erit falsum, quia sunt in potentia condentis. Ad secundum, dicendum quod melius est materie habere appetitum ad formam nobiliorem quam viliorem quantum ad unam determinatam. Vel dicendum quod elementa in propriis regionibus nunquam transmutantur, et si secundum partes aliquas ipsorum elevatas vel depressas aliquotiens transmutantur.

Septimo QUERITUR utrum quodlibet fiat ex quolibet secundum positionem quorundam philosophorum. Et videtur quod sic: omne quod fit ex aliquo eandem materiam habente in toto et in qualibet parte, sicut ex toto fit eadem ratione et in qualibet parte; set omnia que fiunt, fiunt ex materia, que, circumscripta forma, eadem est in toto et in qualibet parte, ergo etc. CONTRA: principia unigenia sunt principiatis; ergo cum in rebus sit diversitas et distinctio, ergo et in principiatis; igitur alia aliorum erunt principia; non ergo quodlibet ex quolibet. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc dicendum quod quidlibet fieri ex quolibet hoc est duppliciter; uno modo dicitur aliquid fieri ex eo in quo prius erat latens, et hoc modo est inpossibile; alio modo potest dici fieri ex quolibet quando aliquid fit ex eo quod ejusdem nature est in toto et in parte, et hoc modo ex materia et ex qualibet parte materie fiunt omnia, et hoc modo non est inconveniens. Per hoc solvitur argumentum. Vel dicendum quod ab insufficienti procedit: unde intelligebant quidlibet ex quolibet quomodocumque fieri ut ex habente omnia.

Octavo QUERITUR utrum sit ponere latitationem formarum sicut quidam posuerunt. Et videtur quod sic: in .4. *Metha-*

3 *Blank in MS.* 18 habente] habentem *MS.* 21 unigenia] unita *MS.*

physice: 'omne quod fit ex sibi simile nomine et specie', ergo forma fiet ex sibi simile nomine et specie; ergo ex alia forma, et ita in materia latebit forma. CONTRA: productio formarum fit per motum et est omnis actio et generatio; set ad motum exiguntur movens et mobile, hoc est efficiens et materia; ergo oriuntur forme ab efficiente et materia, nec latent in materia. SOLUTIO: ad hoc notandum quod dupplex est exitus formarum; primus qui est per creationem, et hic est exitus formarum primarum, scilicet elementorum, unde ipsis concreate sunt; et est secundus, et hic est per naturam et motum, et est formarum posteriorum. Et de hoc exitu tres sunt opiniones: quidam ponebant omnia ab efficienti, quidam omnia a materia, set Aristoteles ab utroque; unde ab potentia materie per operationem extrinseci agentis producuntur. Utrum igitur sit ponere latitationem formarum, dicendum quod non proprie, quia latitatio proprie est quando plura sub actibus propriis et formis in aliquo latent; set si hoc esset, nulla esset generatio, set solum alteratio quedam, unde solum exirent de latentia ad apparentiam. Alio modo communiter loquendo potest esse latitatio | habilitas quedam vel aptitudo vel f. 7 a 1. potentia vel indifferentia ad multitudinem formarum, et hoc modo possibile est esse latitationem formarum in materia. Ad primum argumentum, dicendum quod actoritas intelligitur de productione vel generatione univoca, quando scilicet producens quodammodo in ratione efficientis, formalis, et materialis existit, ut homo hominem, planta plantam generat.

Nono QUERITUR de hoc quod dicit *in littera* quod totum simile est partibus. Ad quod verificando, dicendum quod de similitudine totius ad partes contingit loqui multipliciter; uno ⟨modo⟩ de ista que est in motu et movente; secundo modo in generatione et corruptione; tertio modo in qualitate, ut esse grossum et subtile, amarum, dulce; .4. modo in virtute. Et omnibus istis modis non est simile totum partibus, nec intelligitur actoritas, set .5. modo, in finitate et infinitate. Et hoc modo intelligitur actoritas.

8 dupplex] duppliciter *MS.*

Decimo QUERITUR utrum corpus per continuam resecationem et resolutionem suarum partium ab ipso possit consumi. Et videtur quod non: nullum continuum naturale per divisionem et resecationem consumitur, quia omne tale est divisibile in infinitum; set omne corpus finitum est hujusmodi, ergo nullum corpus naturale per resecationem consumetur. CONTRA: cujuslibet habentis terminos vel terminum possibile est ad terminum pervenire, quia aliter frustra haberet terminum; set si ad terminum perveniat resecatio, consumetur, ergo corpus resolutione partium poterit consumi. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de corpore contingit loqui duppliciter; uno modo in quantum est continuum, et sic non potest consumi, sicut probat argumentum primum; alio modo in quantum est naturale, et hoc modo potest consumi, et hoc est eo quod est sub specie vel forma. Unde corpus habens speciem naturalem sive formam non est divisibile in infinitum in quantum tale; et hoc est quia divisio non est ei respectu speciei vel forme, set respectu continuitatis corporis. Unde NOTANDUM quod corpora viventia per resolutionem suarum partium cito consumerentur propter debilitatem sui nexus vel fragilitatem, nisi fieret continua restauratio nutrimenti. Unde similiter in mari dupplus deflexus et resolutio; unde totum consumeretur nisi esset dupplex restauratio huic dupplici deflexui correspondens: est enim quidam flexus per meatus subterraneos et in diversas partes terre, et huic respondet regressio aquarum per flumina ad ipsum; alia est resolutio facta in meridie ubi aque maris convertuntur in aera, cui respondet restauratio facta in septentrionali, ubi aer in aquam resolvitur. Per hoc solvitur primum argumentum; set ut secundum solvatur:

Undecimo QUERITUR utrum continuum dividatur in infinitum. Et videtur quod sic: 'frustra est potentia que non reducitur ad actum' nono *Methaphysice*; set in infinitum habet potentiam vel aptitudinem ad divisionem, ergo aliquando reducetur ad actum. Minor etiam patet quia continuum, ut vult Aristoteles, divisibile in infinitum. CONTRA: si actu divideretur, tunc esset actu, quod est

contra Aristotelem in pluribus locis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod continuum in quantum hujusmodi divisibile est in infinitum, set nunquam in actum completum potentia dividendi reducetur. Ad argumentum, dicendum quod quedam est potentia materie, et de hac intelligitur actoritas; alia est continui, et de hac opponitur; unde quedam est potentia que tota simul perficitur per actum, ut potentia materie; alia est potentia que nunquam perficitur per actum, ut continui: unde sicut non ordinatur ad actum vel ad esse, set ad non-esse et ad resolutionem, sic ad non-esse reducitur nec ad actum. Unde intelligitur verbum de potentiis ad actum ordinatis. HIC ETIAM posset queri: ad quid stet resolutio corporis naturalis utrum scilicet ad materiam vel ad formam; et, si a parte forme, ut dat esse aut ⟨ut⟩ est operis principium; et, si utroque modo, utrum ut est operis principium sit status, quia amplius non potest operari, aut quia invenit proportionale sibi resistens; set ista ad presens omittentes simpliciter, in *capitulo de infinito* de hiis inquiremus.

Dignius autem est minora et finita accipere, etc.

QUERITUR hic primo utrum principia necessario sint in natura. Et videtur quod non: quia dicit Nicholaus in suis *Questionibus* quod si agens primum conferat virtutem agenti secundo, agens secundum agit sicut agens primum; set natura agit per virtutem quam habet a primo, quia non habet ab alio; set primum agit non ex suppositione, ergo natura, ergo ipsa natura aliquibus principiis ⟨non indiget⟩. AD IDEM: dicit Plato quod actio instrumenti ad actionem agentis reducitur; ergo actio nature que est instrumentum primi ad actionem primi ⟨reducitur⟩, et ita ex nichilo. AD IDEM: scribitur in xi *Methaphysice* quod in generatione naturali hoc totum producitur, si illud quod producit totam substantiam vel esse rei non producit ex aliquibus principiis nec aliquibus indiget; set illa principia producit, ergo natura non indiget

2 continuum] infinitum *MS.* 32 *Methaphysice*] *Physice MS.* quod] et *MS.*

principiis. CONTRA: nullum agens potentie finite et limitate patens est ex nichilo producere, set ex aliquibus principiis existentibus; set natura est hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: que est comparatio agentium, eadem est operationum; set natura est agens secundum, ergo et ejus operatio; set operatio primi est ex nichilo, ergo operatio nature ex aliquo vel aliquibus principiis. QUOD CONCEDO. Ad primum argumentum, dicendum quod verum est, si agens possit totaliter virtutem primi agentis recipere; set natura non potest. Vel dicendum quod conferre virtutem alicui hoc est duppliciter; aut per formalem unionem, et sic intelligitur actoritas; aut per solam influentiam et diffusionem, et sic influitur nature. Ad secundum, dicendum quod actio instrumenti reducitur ad actionem agentis, non quia omnino conformis et similis, set quia per influentiam agentis agit instrumentum. Ad tertium, dicendum quod totum producere duppliciter; aut in producendo principia, et sic primum; aut in producendo compositionem principiorum, et sic natura: natura enim vere potens est supra compositionem et primum supra productionem principiorum: unde natura esse rei producit, set primum essentiam.

Secundo QUERITUR utrum principia nature sint prima. Et videtur quod non: nulla opposita sunt prima; principia sunt opposita, ergo etc. Major patet quia oppositio est accidens, nullum accidens primum; minor jam patebit. AD IDEM: que sunt post priora non sunt prima; set principia sunt hujusmodi, quia consequuntur primum exitum, scilicet intelligentiarum et aliorum spiritualium, ergo non sunt prima. CONTRA: principia nature non fiunt ex aliis, set ex hiis omnia alia, et iterum principia ante quod nichil; ergo sunt prima. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc dicendum quod uno modo dicitur primum simpliciter, et sic non sunt; alio modo in genere, et sic principia sunt prima: unde concreata sunt rebus naturalibus. Per hoc solvitur ad secundum argumentum. Ad primum, dicendum quod aliqua sunt opposita seipsis, ut patet in quolibet genere, et non per alia, et sic sunt principia; tu autem opponis de aliis. Vel dicendum quod principia secundum essentiam non sunt opposita, set

disparata, et hoc modo ponitur; set quantum ad se non sunt opposita: et sic procedit argumentum.

Tertio QUERITUR utrum sint opposita. Videtur quod non: nulla opposita in eodem se compatiuntur; set principia nature in eodem se compatiuntur, ergo etc. AD IDEM: nullum oppositum est oppositi receptivum; set materia recipit formam, ergo quelibet sint principia, non opposita sunt. CONTRA: que sunt principia nature sunt principia motus; set motus fit per oppositionem, ergo etc. Quod non sint contraria videtur: principia nature substantie sunt, ut sepe recitant philosophi; set substantia substantie non est contraria, in libro *Predicamentorum*, ergo etc. AD IDEM: si unum oppositorum est natura completa, et reliquum; set unum est sub actu completo, quod est forma, ut modo supponimus, reliquum sub actu incompleto, ut privatio, ergo etc. QUOD privativa sint videtur: quia unum completum, reliquum incompletum. Hoc etiam patet per eorum nominationem: nominantur enim habitus et privatio. CONTRA: a privatione in habitum non contingit regredi; set ab uno principiorum contingit regredi in aliud: unde a privatione forme ignee contingit in eandem regredi, ergo etc. Quod contradictoria videtur: principia nature sunt principia generationis, set termini generationis sunt esse et non-esse: set sunt contradictoria, ergo et principia nature sunt contradictoria. AD IDEM: ex corrumpto fit generatum et e contrario; corrupta forma aeris, inprimitur forma ignis; set corruptum est non-ens, generatum est ens, et hoc fit per nature principia, ergo ipsa sunt contradictoria sicut ea que fiunt ex ipsis, quia principia et principiata sunt unigenia, et maxime intrinseca. CONTRA: nulla contradictoria sunt ambo entia; set principia nature sunt entia, ergo ipsa non sunt contradictoria. Major patet de se; minor etiam est evidens, quia ipsa principia sunt ex quibus alia habent esse; ergo maxime erunt, quia propter quod unumquodque tale et illud magis. Quod sint relativa videtur: quia 'materia ad formam relative dicitur', ut scribitur in secundo *hujus libri*; set hec sunt principia,

9 oppositionem] appositionem *MS.*

ergo ipsa erunt relativa. AD IDEM: principia nature sunt opposita, ut visum est; set opposita sunt relativa: oppositio est relatio, ergo principia sunt relativa. CONTRA: unum relativorum ponit alterum; set unum principiorum non ponit alterum, set magis expellit, ergo non sunt relativa. SOLUTIO: ad hoc notificandum dicendum quod de principiis contingit loqui multipliciter; uno modo quantum ad eorum essentias et absolute, et sic non sunt opposita, set disparata; secundo modo quantum ad hoc quod ad fieri rei et transmutationem concurrunt, et sic opposita sunt; tertio modo quantum ad esse actuale, secundum scilicet quod compositum ex istis integratur et in illo remanent, et sic sunt relativa. Si autem considerentur illo secundo modo, scilicet secundum quod ad transmutationem concurrunt et fieri, tunc de ipsis contingit loqui dupliciter; quia in fieri transmutationis tria sunt; primum est suscessio transmutabilis, et sic sunt contraria | quia tunc adinvicem agunt et patiuntur; secundum est terminus illius transmutationis quod est forma, et sic sunt privativa, quia una forma generata statim fit privatio alterius; tertium est factum esse vel generatum, et est non solum terminus, set et finis totius operationis, et hoc modo contradictoria, quia unum ens actu completum, reliquum non-ens, scilicet privatio. Per hec solvuntur duo prima argumenta probantia quod non sunt opposita, quia in eodem se compatiuntur et unum receptivum alterius; quia materie quantum ad essentiam non opponitur aliquid, scilicet materie non disposite contrariis dispositionibus, et sic procedunt; set ipsi quantum ad esse, scilicet in quantum est disposita contrariis dispositionibus ad aliquam formam, sic illa forma est ei opposita. Tertium contra hoc concedatur via qua procedit. Ad primum ostendens quod non sunt contraria, dicendum quod substantie ⟨in⟩ id quod est substantie vel in quantum substantia nichil est contrarium, tamen substantie naturali aliquid potest esse contrarium. Ad secundum dicendum quod esse sub esse completo hoc est duppliciter; aut in fieri, et sic utrumque est sub esse completo; aut in facto

f. 7 a 2.

5 magis] mu . . us *MS.* 25, 30 opposita] contraria *MS.*

esse, et sic non ambo sub esse completo, quia hoc modo non est privatio. Argumentum quod probat quod sunt privativa prima via concedendum; set ad illud ad oppositum, dicendum quod dupplex est privatio; quedam que est privatio tantum, et hoc est quia nulla natura est, ut tenebra, et hoc nichil relinquit, et talis non est principium; alia est que privat aliquid et aliquid relinquit, et hec est privatio in genere. Et hec est dupplex; quedam est que in eadem potentia materie semper communicat cum suo habitu, ut visus, cecitas, et hec non est principium, et de hac opponitur; alia est que communicat in eadem potentia materie cum suo habitu, ut calidum, frigidum, habet enim frigidum potentiam ad calefaciendum et e contrario, et talis est principium. Argumenta ostendentia quod sint contradictoria concedantur, ut visum est. Ad illud quod est in oppositum, dicendum quod principia nature, sicut visum est in transmutatione et fieri, et quantum ad essentias entia sunt omnia, set quantum ad factum esse sunt non omnia; unde fieri precedit factum esse, et principaliter consideratur a philosopho. Argumenta probantia esse relativa concedantur. Ad argumentum in contrarium, dicendum quod eorum que sunt relativa unum non expellit reliquum, sicut visum est.

Quarto QUERITUR utrum principia nature fiant ex alterutris; quod negat *in littera*. Et videtur quod sic: quecumque conveniunt in materia et differunt in formis activis et passivis possunt fieri ex alterutris; set principia nature sunt hujusmodi, quia in materia radicantur, et differunt forma vel' specie, ergo ipsa possunt fieri ex alterutris. Major patet quia propter convenientiam elementorum in materia et differentiam in formis adinvicem transmutantur. AD IDEM: *in littera* dicit quod 'omne quod fit, fit ex suo contrario et in suum contrarium corrumpitur'; set principia sunt contraria, ergo unum poterit fieri ex alio et e contrario, ergo ex alterutris. CONTRA: scribitur *in littera* quod 'principium idem necesse est permanere'; non ergo unum ex altero fit, nec in alterum corrumpitur. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc dicendum quod principia quantum ad essentias sim-

21 eorum] eadem *MS*.

plices et esse absolute non fiunt ex alterutris nec sunt transmutabilia, tamen quantum ad esse composita vel secundum quod sunt in aggregato possunt fieri ex alterutris, et in formatione transmutari. Per hoc patent argumenta.

Quinto ⟨QUERITUR⟩ utrum in natura contrarium ex contrario fiat contrarium, secundum quod dicit *in litera*. Videtur quod non: dicit Ysaac quod 'illud ex quo fit res est in fieri vel generatione extra, in facto esse vel generato intra'; set contrarium non est in contrario, ergo non fit ex contrario. AD IDEM: 'omne quod fit fit ex sibi simile nomine et specie'; set contrarium non est simile contrario, set dissimile, ergo etc. Major scribitur in .7. *Methaphysice*. AD IDEM: materia est ex quo omnia fiunt et in quod resolvuntur, ut sepe scribit Philosophus; set materie nichil est contrarium, quia per indifferentiam se habet ad omnia, nec ibi aliquid distinctum, ergo contrarium non fit ex contrario. Ad oppositum est actoritas philosophorum. SOLUTIO: ad hoc diligenter notandum quod aliquid potest fieri ex aliquo multipliciter; primo modo tamquam ex materiali principio, et sic omnia ex materia; secundo fit aliquid ex aliquo tamquam in esse compositi et aggregati, et sic omnia generabilia et corruptibilia ex .4. elementis; tertio dicitur fieri ex aliquo aliquid quando fit post ipsum, et sic ex mane fit meridies, et hoc modo accipitur ex parte post; .4°. modo dicitur aliquid fieri ex aliquo existente in ratione principii effectivi, et sic ex primo, id est a primo, fiunt omnia; quinto modo fit aliquid ex aliquo quia fit ex eo quod est regulans transmutationem et exitum suum in esse, et sic ex principiis nature fiunt omnia, scilicet materia, forma, privatio. Unde mixtio elementorum, ad hoc ut ex ipsis fiat unum, virtute principiorum naturalium regulatur; unde per expulsionem unius reliquum introducitur, et non fieret nisi virtus principiorum nature concurreret. Set ut questio solvatur, NOTANDUM quod dupplex est exitus contrariorum: quidam est in materia in qua non prius fuerant contraria, et sic est exitus primorum contrariorum, ut calidi, frigidi, humidi, sicci, et hic exitus fit per concrea-

25 *post* aliquo, *add. MS.* in ratione principii.

tionem, et sic non est contrarium ex contrario; alius est exitus secundus qui est formarum contrariarum, ut duri, mollis, albi, nigri: hec enim a primis et per motum et transmutationem oriuntur, et de istis intelligitur quod contrarium ex contrario fit. Set NOTA hic quod non fit contrarium ex contrario ita quod fiat unum reliquum, set illud quod est sub uno, scilicet materia, fit sub alio; unde ibi accipitur fieri ex aliquo sicut tertio modo sumebatur, scilicet ex parte post. Unde, quando fit contrarium ex contrario, patitur materia passione que est salus et receptio, contrarium autem passione que est abjectio et corruptio. Per hoc solvuntur argumenta.

Sexto QUERITUR utrum in artificiali generatione fiat contrarium ex contrario. Et videtur quod non: in artificiali generatione subest quantum; set quanto nichil est contrarium, ergo etc. AD IDEM: figura figure non contrariatur, in *De Celo et Mundo*; set in artificialibus fit figuratum ex figura, quia omne quantum continuum finitum, ut ciphus ex anulo; non ergo contrarium ex contrario, quod supponit *in littera*. CONTRA: 'sicut est in natura, ita debet esse in arte', in secundo *Physicorum*; set in natura contrarium ex contrario, ergo et in arte. QUOD CONCEDO. Ad argumentum .i. dicendum quod quantitas per essentiam non habet contrarium; tamen habere potest in quantum naturalis, scilicet mobilis vel motiva. Ad secundum: quod ex figurato figuratum, non in quantum illud est figuratum: unde si chiphus fieret ex auro, posset fieri ex eo quocumque modo figurato.

Septimo QUERITUR utrum dispositiones in rebus naturalibus sint denominate; dicit *in littera* quod non. Videtur quod sic: dispositiones materie artificialis eedem sunt per essentiam, cum ista, scilicet materia, sit nominata, ergo et sue dispositiones. Major patet. CONTRA: dispositiones que denominate sunt sunt ille que contracte sunt et habilitatem ⟨dant⟩ ad alicujus forme determinatam susceptionem. Hoc patet, quia *in littera* dicit quod non est album ex quocumque, set ex nigro; et ita hec dispositio contrahit

19 ex[1]] e *MS.* 29, 33 denominate] de necessitate *MS.* 33 ille] illa *MS.* contracte] contracta *MS.*

naturam ad formam determinatam, scilicet ad nigredinem vel ad alium colorem; set aurum vel aliquid hujusmodi quod est materia artificialis non habet dispositiones determinatas ad formam determinatam; ergo ei habet dispositiones denominatas. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod habere dispositiones non denominatas hoc est duppliciter: aut quia nullo modo nominatas, quod est falsum, quia quodammodo nominate sunt, scilicet generaliter nomine sue materie; aut quia non sunt nominate nomine speciali, sicut naturales. Et NOTA quod dispositiones artificiales innominate sunt duplici de causa: una est quia non ordinant materiam ad formam determinatam; alia est quia non adducunt essentiam novam supra materiam.

Octavo QUERITUR utrum universale nottius sit secundum intellectum, sicut dicit *in litera*. Et videtur quod non: 'nichil est in intellectu quin prius fuerit in sensu' in tertio *De Anima*, ergo si universale notum intellectui, nottius sensui erit, et si nottius intellectui nottissimum sensui: quod falsum est. CONTRA: cognitum esse conformitatem cognoscentis ad cognoscibile, quia in secundo *De Anima* dicit quod 'eadem est natura objecti, medii, et organi'; cognitum igitur esse conformitatem inter intellectum et intelligibile, et sensum et sensibile; sub singulare corporale et sensus materiale, et sic sensus apprehendit singulare, similiter universale intelligibile, quia inmateriale, et similiter intellectus inmaterialis; ergo universale objectum intellectus, et ita nottius secundum ipsum. Primum argumentum in sequenti questione solvitur. Per hoc

Nono QUERITUR utrum ratio vel intellectus sit universalis tantum, et sensus particularis. Videtur quod non: intellectus apprehendit quod vere; set singulare est hujusmodi, ergo etc. Major patet quia in tertio *De Anima*, intellectus verior est; minor patet in hoc *primo libro*: est enim singulare quod vere est, cum habeat in se principia sue existentie. AD IDEM: 'nichil est in intellectu quin prius fuerit in sensu'; set universale nunquam fit in sensu, quia inter hec nulla est proportio, ergo nec ⟨in⟩ intellectu.

19 cognitum] quantum *MS*. 21 organi] organis *MS*.

Solutio: ad hoc dicendum quod de singulari duppliciter est loqui; aut in eo quod substantia, et sic non est objectum sensus; aut in quantum sensibile, scilicet quantum ad qualitates scilicet calidum, album, et hujusmodi, et sic est objectum sensus, primo modo intellectus. Unde NOTA quod sola qualitas objectum sensus particularis, quantitas objectum communis: unde nichil apprehendit nisi ratione quantitatis, apprehendit enim magnitudinem, figuram, et hujusmodi; substantia autem objectum intellectus. Unde NOTA quod ad hoc quod aliquid intelligatur, exigitur unum a parte intelligentis, scilicet inmunitas a materia, et aliud a parte intelligibilis, scilicet denudatio intelligibilis a materia; et propter hoc universale cum sit communis intentio opere rationis abstracta a pluribus singularibus, et ita a materia denudatum, primo et per se intelligitur, singulare autem ex consequenti et per accidens. E contrario autem est de sentire: unde | omne per se intelligibile per accidens sensi- f. 7 b 1.
bile est, et omne per se sensibile per accidens intelligibile. Unde sensus particularis primo apprehendit res materiales per suas species, et ulterius depurando ad fantasiam deferuntur, et tunc intellectus agens, cujus creata sunt exemplaria, irradiat supra fantasmata, ipsa a conditionibus materialibus abstrahens in intellectu possibili reponendo. Per hoc solvitur primum argumentum. Ad secundum, dicendum quod quedam sunt ⟨in⟩ intellectu per speciem, ut lapis, et de hiis intelligitur auctoritas: unde 'lapis non est in anima, set species lapidis'; alia per presentiam, ut universale: universale enim non habet speciem, cum nichil sit simplicius universali, et species sit simplicius illo cujus est species. Et propter hoc dicitur quod 'intelligimus quando volumus, quia universale semper presens intellectui; non autem sentimus quando volumus, quia sensibile quandoque absens est ab sensu'. Et NOTA hic quod intellectus, quantum ad hanc operationem que est simplex apprehensio, semper est verorum et rectus; set quantum ad istam, que est apprehensa componere et dividere, potest esse rectus et non rectus.

11 aliud] alius *MS.* 12 a] et a *MS.* 21 sunt] sicut *MS.*

Hic primo QUERITUR utrum principia nature sint finita vel infinita; quia prius determinatum est utrum unum vel multa. Quod sint infinita videtur: scribitur in *De Generatione* quod generatio continua est et infinita; set principia nature sunt principia generationis, ergo ipsa erunt infinita. AD IDEM: res naturales fiunt per appetitum materie et indifferentiam ad formas naturales circa ipsam; set appetitus est infinitus, ergo et ipsa principia ipsis respondentia erunt infinita. CONTRA: in principiis necesse est stare, ut hic scribitur; set ⟨in⟩ infinito non est stare, quia omne infinitum in quantum hujusmodi ignotum est, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod non sunt infinita principia nature, set radix sunt principia et ratio regulans transmutationem in infinitum; unde infinitum prout dicit modum accipiendi potest esse in natura, ut continuo et materia, set non ut dicit rem. Per hoc solvitur primum. Unde generatio non est infinita, set infinite, et sic principia sunt infinities ratio regulans ipsam. Per hoc solvitur secundum. Unde appetitus non est infinitus, quia cum nichil sit ottiosum, aliquando materia infinitas formas reperiret simul et semel: quod est inconveniens, set infinities circa potentiam materie reiteratur.

Secundo QUERITUR de hoc quod dicit *in littera*, scilicet quod in quolibet genere est ponere unam contrarietatem. Et videtur quod non: contrarietas est causa motus; set in quolibet genere non est motus; ergo in quolibet genere non est contrarietas. Major scribitur multotiens in *Physicis* et in *De Generatione et Corruptione*, quia omnis motus per contrarietatem; minor etiam patet quia in *De Generatione* scribitur quod motus est solum in tribus generibus, et in *Physicis* quod 'in ad aliquid non est motus'. CONTRA: contrarietas facit distare; set in omni genere est reperire distantiam, que est a non-esse in esse; ergo in omni ⟨genere⟩ erit reperire contrarietatem. QUOD CONCEDO. Ad primum argumentum, dicendum quod quot sunt species entis tot sunt species motus, quia omne in quantum naturale

11 infinitum] *iter. MS.*

mobile est; set quoddam est ens primo et per se, et quoddam per accidens; similiter erit de motu, quod quidam per se et primo, ut in genere qualitatis, actionis, quidam per accidens et ex consequenti, ut in relatione: unde si aliquis ab albedine mutetur in nigredinem, primo et per se fit mutatio in qualitate, set in consequenti et per accidens in relatione; unde eo quod sit niger factus ⟨est⟩ alicui similis, scilicet nigro, et propter hoc sicut dividitur ratio motus diversimode, sic et ratio contrarietatis. Unde quando dicitur quod 'in ad aliquid non est motus', hoc intelligendum est de motu per se.

Tertio QUERITUR utrum in genere substantie sit una contrarietas. Et videtur quod non: 'substantia non est substantie contraria', in *Predicamentis*, ergo in genere substantie non est aliqua contrarietas. AD IDEM: 'in substantia non est motus' .5. *Physicorum*; set 'contrarietas causa est motus', in eodem .5°. est, ergo in substantia non est contrarietas. CONTRA: omnis exitus naturalis per contrarietatem est; set exitus formarum substantialium in materia in qua non erant prius est naturalis, ergo fit per contrarietatem, ergo in substantia est contrarietas. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de substantia est loqui duppliciter; uno modo in eo quod essentia, et hoc modo considerat eam methaphysicus, nec est in ea contrarietas; alio modo in quantum naturalis, et sic ibi est contrarietas. Per hoc solvitur primum argumentum. Ad secundum, dicendum quod motus duppliciter; communiter scilicet et proprie. Motus enim, proprie dictus, contra mutationem dividitur, et sic non est motus in substantia, quia motus proprie a contrario in contrarium, et generatio et corruptio non sunt motus, set mutationes; communiter dictus dicitur motus quecumque mutatio, et sic generatio et corruptio sunt motus, et hoc modo est motus in genere substantie. NOTA tamen quod tam mutatio quam motus a contrario in contrarium, set motus suscessive et mutatio subito; unde quando in materia introducitur forma, jam ipsa materia

24 methaphysicus] mathematicus *MS*. 31 sunt] est *MS*.

disposita, tunc est mutatio; unde motus in principio, mutatio in fine.

Quarto QUERITUR de hoc quod dicit quod omnes contrarietates ad unam primam reducuntur. Et videtur quod non: si substantia ad substantiam reducatur, et contrarietates ad contrarietates; set omnia contraria reducuntur ad elementa contrarietates habentia, ergo et contrarietates omnium ad contrarietates elementorum reducuntur; set contrarietates elementorum sunt due: una activarum qualitatum, scilicet calidum, frigidum, altera passivarum, scilicet humidum et siccum; non igitur omnes contrarietates ad unam reducuntur, set ad duas. CONTRA: in omni genere est stare ad unum, ergo et in genere contrarietatum. QUOD CONCEDO: set NOTA quod de reductione est loqui duppliciter; uno modo in esse proprio et appropriato, et sic non ⟨fit⟩ reductio ad unum simpliciter, set ad unum in quolibet genere ⟨in quo⟩ omnes ⟨contrarietates⟩ illius generis reducuntur; alio modo est loqui de reductione secundum radicationem et reductionem et rationem universalem contrarietatis, et sic est simpliciter reductio ad unam, in qua et per quam omnes habent fixionem. Ad argumentum, dicendum quod de primis contrarietatibus contingit loqui duppliciter; aut quia sunt primorum corporum, et sic due, sicut probat argumentum; aut secundum radicationem et reductionem, et sic una, que illas .2. precedit et regulat.

Quinto QUERITUR utrum omnes contrarietates ad illam que est in genere substantie reducantur. Et videtur quod non: major contrarietas non reducitur ad minorem, set e contrario; set in substantia minor est contrarietas, quia substantia in quantum substantia non habet contrarium, set qualitas in eo quod qualitas habet, ergo omnes contrarietates substantie ad contrarietatem non reducuntur. AD IDEM: reductio est ad aliquid quod est per se stans, quia propter statum fiunt reductiones; set contrarietas non est per se stans, cum sit accidens et ita dependens, ergo ad contrarietatem non fiet reductio contrarietatum. AD IDEM: genera

2 mutatio] unius *MS.* 7 ergo] reducuntur ad elementa ergo *MS.*
30 substantia [1]] substantie *MS.* 34 statum] *iter. MS.*

sunt distincta, ergo contrarietates eorum distincte, et non adinvicem reducte. CONTRA: que est comparatio substantiarum ad substantiam, eadem est contrarietatum ad contrarietates; set accidentia reducuntur ad substantiam, cum ab ipsa oriantur, ergo contrarietates accidentium ad contrarietatem substantie reducuntur. QUOD CONCEDO. Ad primum argumentum, dicendum quod contrarietas uno modo dicitur major quantum ad radicationem, et sic in substantia; alio modo quantum ad operationem et manifestationem, et sic in accidentibus, sicut opponitur. Ad secundum, dicendum quod contrarietas in se non est stans, in materia tamen est stans et fixa. Ad tertium, dicendum quod de generibus uno modo contingit loqui quantum ad essentias suas, et sic non sunt reducibilia, sicut argumentum procedit; alio modo quantum ad esse naturale et transmutationem, et sic reducibilia sunt.

Sexto QUERITUR que sit illa contrarietas prima in genere substantie ad quam alie reducuntur, utrum scilicet sit corporeum et incorporeum. Et videtur quod sic: prima contrarietas est in genere, que primo terminat divisionem generis; set corporeum et incorporeum sunt hujusmodi in genere substantie, ergo erunt prima contrarietas. AD IDEM: prima contrarietas est illa que evacuat totum genus et adequatur illi; set corporeum et incorporeum sunt hujusmodi in genere substantie, ergo etc. CONTRA: prima contrarietas dicitur esse prima, quia principium est motus et transmutationis rerum naturalium; set corporeum et incorporeum nón sunt hujusmodi, ergo corporeum et incorporeum non sunt prima contrarietas. Major patet quia quod est principium motus mediante quo omnia generantur naturalia primum debet esse; minor patet quia corporeum et incorporeum non sunt differentie substantie ut est naturalis; set ut est naturalis | est principium motus, ergo corporeum et f. 7 b 2. incorporeum non erunt principium motus, cum non insunt ei in quantum naturalis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de substantia contingit loqui duppliciter; uno modo quantum ad simplicitatem sue essentie, et sic a methaphysico

14 reducibilia] reducibiles *MS.*

speculatur; secundo modo quantum ad hoc quod subjectibilis et predicabilis, scilicet secundum quod dicit ordinationem sub et supra, et sic a logico consideratur; tertio modo in eo quod naturalis, scilicet in quantum generabilis et corruptibilis, et hoc modo physice cognitioni est subjecta, et hoc modo loquendo de ipsa, sciendum quod in genere substantie est una prima contrarietas ad quam omnes alie reducuntur, que est forma et privatio, que a diversis rationibus diversa nomina sortitur, ut jam manifestabitur. Propter hoc NOTANDUM quod reductio contrarietatum potest esse multipliciter; uno modo fit in genere, et alio modo extra genus. Si in genere, aut hoc est in genere proprio et essentiali, et sic omnes contrarietates posteriores in genere substantie reducuntur ad primam contrarietatem illius generis, et ⟨que⟩ sunt posteriores in genere qualitatis ad primam reducuntur illius generis, et similiter in aliis; aut hoc est in genere nature. Et hoc duppliciter; quia uno modo fit reductio omnium contrarietatum ad ipsa prima corpora elementorum tamquam ad originem et subjectum; forme enim substantiales elementorum prime sunt et regulantes omnes alias subsequentes; alio modo fit reductio contrarietatum ad primam contrarietatem qualitatum ipsorum elementorum. Et hoc duppliciter; aut fit ad contrarietatem activarum qualitatum, et sic omnes contrarietates activarum qualitatum posterius reducuntur ad istam que est calidum, frigidum, aut istam ⟨que est⟩ album, nigrum, et hujusmodi, et hoc tanquam ad instrumentum per quod fiunt; aut fit hec reductio ad contrarietatem qualitatum passivarum, et hoc modo fit reductio omnium contrarietatum qualitatum passivarum ad hanc, que est humidum et siccum. Si autem fiat reductio omnium contrarietatum extra genus, hoc est duppliciter: quia aut fit reductio omnium contrarietatum generaliter ad materiam subjecti, et sic fit reductio omnium contrarietatum ad ipsam materiam primam, que radix omnium earum; aut fit reductio omnium contrarietatum ad unam primam contrarietatem que obtinet universalem rationem omnis transmutationis; hec enim est ratio regulans, radix et origo

26 aut] ut *MS.*

omnis contrarietatis et transmutationis per naturam excellentie et defectus in ea repertam; hec enim primo inest circa materiam. Et hec est forma et privatio que uno modo nominatur contraria, alio modo habitus et privatio, tertio modo esse et non-esse; cujus ratio inferius declarabitur. Per hoc solvitur ad .2. argumenta prima, quia illa contrarietas, scilicet corporeum et incorporeum, non est regulans motum et transmutationem; a naturali enim non consideratur, set a logico, et propter hoc ab insufficienti procedebant.

Septimo QUERITUR de hoc quod dicit *in littera* quod necesse est principia permanere. Videtur quod non: nichil quod abicitur vel corrumpitur est permanens; set privatio est hujusmodi, ergo non est permanens. Quelibet patet. AD IDEM: nichil quod ambiatur per excellentiam alicujus est permanens; set forma est hujusmodi, quia per excellentiam forme, ergo non est permanens. CONTRA: quecunque sunt principia motus continui et perpetui sunt permanentia; set principia nature sunt hujusmodi, quia in fine *De Generatione* dicitur quod 'prima generatio continua et perpetua'; set principia nature sunt principia generationis, ergo principia nature sunt permanentia. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod quidam dicunt quod hoc est intelligendum de materia et forma solum; set dicendum quod hoc est intelligendum de omnibus. Ad primum, dicendum quod privatio quantum ad intentionem nature quod est continuum fieri transmutationis semper manet; et hoc principaliter intendit naturalis, et propter hoc quantum ad ipsum semper est manens, non tamen in facto esse, set corrumpitur et abicitur. Ad secundum, dicendum quod forma et in fieri et in facto esse manet; in facto esse non est dum in fieri manet, quia forma corrumpendo generatur et e contrario, unde forma, generata corrumpendo, generando generandam formam fit primum.

Octavo QUERITUR de hoc quod dicit quod ex non-substantiis non fit substantia. Ad quod NOTANDUM quod dupplex est exitus rerum: primus qui est a primo per creationem, et hoc modo ex non-substantiis sinpliciter, id est ex nichilo, fit substantia; unde creatio materiam non

5 cujus] cui *MS.*

supponit; alius est exitus secundus, qui est per naturam, et tunc de hac propositione 'ex non-substantia ⟨non⟩ fit substantia', quia illa negatio aut est negatio in genere aut extra genus; si extra genus, sic est falsa: ex nullo ⟨modo⟩ substantiis per naturam non fit substantia; si in genere vera, quia tunc est vera: ex non-substantiis actu, potentia tamen substantie, possibile est fieri substantiam.

Nono QUERITUR de hoc quod dicit quod substantia non est substantie contraria. Ad quod NOTANDUM quod aliqua dicuntur contraria quia movent ad contraria, et sic substantia substantie potest esse contraria, ut ignis aque; secundo modo quia in eodem se compati non possunt, et sic iterum in substantiis erunt contraria, ut forme substantiales elementorum; tertio modo quia contrariarum operationum et in eodem se simul compati non possunt, et existentia sub eodem genere mutuo se expellunt, et sic in qualitate proprie et per se sunt contraria. ITEM: nota quod substantia, in eo quod substantia, substantie non est contraria, set in eo quod naturalis.

Decimo QUERITUR de hoc quod dicit quod ad patiendum sufficiens est unum, scilicet materia vel subjectum. Videtur quod ⟨sit⟩ falsum: si unum relativorum dicitur multipliciter, et reliquum; set agens quod correlative dicitur ad patiens dupplex est, sicut dicit, scilicet forma et privatio, ergo similiter et patiens. AD IDEM: quod expellitur patitur; privatio vel forma que prius inerat materie expellitur a forma superveniente, ergo ipsa patitur et similiter materia, ergo duo erunt patientia. AD IDEM: In *capitulo de agere et pati* dicitur quod 'omne agens physicum in agendo patitur'; ergo hec tria materia, forma, privatio, activa erunt et passiva adinvicem. ⟨SOLUTIO⟩: ad hoc, vehementi applicatione intellectus, diligentissime est notandum quod dupplex est passio, ut in libro *De Anima* ab Aristotele distinguitur; quedam est salus et receptio, et sic patitur materia a contrariis, et de hac intelligit hic actor, scilicet quod unum est patiens; alia est que est abjectio et corruptio, et hoc modo patitur privatio forma. Unde NOTA quod

2 non-substantia] non-subjecti *MS.*

aliquid est activum simpliciter, passivum tamen quodammodo et hoc modo forma: activa, quia corrumpens privationem materiam perficit; passiva, quia privatio ei resistit. Est autem aliud quod est simpliciter passivum, activum tamen quodammodo et hoc modo materia: quia a forma patitur recipiendo perfectionem et completionem, item a privatione quodammodo, quia mediante privatione introducitur forma in ipsam, passiva est; ⟨activa⟩ quia sua potentia quodammodo disponit ad introductionem forme in seipsam: unde potentia bene passiva activa est quodammodo, et per hoc differt potentia nature a potentia materie artificialis, quia hec nullo modo disponit ut incidens forma introducatur. Privatio similiter activa et passiva: activa, quia forme resistit et ad ejus introductionem in materiam disponit, ut inferius videbitur: passiva, quia a forma corrumpitur et abicitur. Set NOTA quod in natura plus activa quam passiva dicitur, quia priusquam forma introducatur in materiam in ratione forme se habebat, quia ejus productio disponit ad formam ad quam tota operatio nature terminatur. NOTA item hic quod materia non est completum, quia completum ex complente et completibili componitur: nec complens, set completibile; forma vero non completum nec completibile, set complens; set privatio non completum, non complens, nec completibile, set est illud mediante quo fit complementum. NOTA item de privatione, quod proprie passiva non est, quia proprium passivum est quod sui agentis sustinet actionem, ut est materia actionem forme sustinens, terminans, et finiens. Per hoc solvuntur argumenta.

Hiis visis, QUERITUR de hoc principio nature quod est forma; primo utrum generetur in materia. Videtur quod non: scribitur in .7. *Methaphysice* quod 'illud quod generatur non est materia, nec forma, set compositum'. AD IDEM: scribitur | in primo *De Generatione* quod 'in naturali f. 8 a 1.
generatione fit hoc totum' et ita compositum. CONTRA:

1–2, 5 quodammodo] quo *MS*. 3 materiam] *iter. MS* 19 productio] productionem *MS*.

omne habens per se contrarium, per se generatur et corrumpitur, quia omnis motus et generatio a contrario in contrarium; set forma est hujusmodi quia privatio est ejus contrarium, ergo forma generatur. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod quedam est generatio simpliciter, que dicitur generatio hujus et sic generatur compositum; alia quodammodo, et hec dupliciter: aut est generatio hujus in hoc, et sic generatur forma; aut hujus sub hoc, et sic generatur materia: unde innovatur ejus esse, forma adveniente. Per hoc solvuntur argumenta.

Secundo QUERITUR utrum generetur suscessive vel subito. Quod suscessive videtur: scribitur in *De Causis*: 'omne quod recipitur in aliquo recipitur per modum recipientis et non per modum recepti', ergo forma recipietur in materia per modum materie; set materia radix est divisibilitatis et partibilitatis; forma ergo per hunc modum recipitur; set recipere per modum divisibilis et partibilis recipere est sucessive, quia primo in una parte et post in alia, ergo forma in materia successive recipitur et generatur. AD IDEM: nulla forma expansa in qualibet ⟨parte⟩ materie subito, set successive recipitur; set omnis forma naturalis est hujusmodi, ergo nulla forma naturalis subito, set suscessive recipitur. Major patet per predicta; minor etiam apparet quia nisi expansa esset in qualibet parte materie, tunc aliqua pars materie esset informis, quod est inconveniens. AD IDEM: forma imprimitur materie in eodem instanti in quo inest suum contrarium, scilicet privatio vel forma privata, aut in alio; si in eodem, inconveniens, quia duo contraria in eodem; si in alio, inconveniens. PROBATIO: sit illud in quo forma inprimitur A, illud autem in quo removetur contrarium sit B; set dicit Aristoteles, in *capitulo de tempore*, quod inter duo instantia necesse tempus est esse medium; illa ergo materia in illo tempore medio erit informis, quod est inconveniens ponere. CONTRA: dicit Aristoteles quod in potentia materie necesse est mox inesse contrarium; set est in instanti, ergo forma in instanti imprimitur. AD IDEM: omnis forma que intro-

6–7 quodammodo] quo *MS.* 18 alia] aliam *MS.* 28 aut] autem *MS.*

ducitur in materia, eodem modo disposita in toto et in qualibet parte, subito introducitur et non suscessive; set omnis forma naturalis est hujusmodi, ergo omnis forma naturalis subito introducitur et non suscessive. Major patet quia ex quo materia eodem modo est disposita, qua ratione introducitur forma in una parte eadem ratione et in omnibus a parte materie, item a parte forme, quia forma est invariabilis; minor patet quia si non esset materia tota disposita non posset forma in eadem introduci, quia actus activorum sunt in patiente et disposito. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in introductione forme in materia, primo materia transmutatur et disponitur, et transmutatio motus appellatur, et tunc est in potentia essentiali ad formam, et hoc modo dicitur introduci suscessive; ultimo autem quando materia disposita est, tunc est in potentia accidentali, et vocatur necessitas, et inprimitur ei forma subito, et tunc hec transmutatio vocatur mutatio proprie, et non motus. Per hoc solvuntur .2. argumenta. Ad ⟨primum⟩ in oppositum, dicendum quod ⟨loquitur⟩ de eo quod recipitur in aliquo complete, set materia est quid incompletum. Ad secundum, dicendum quod forma expansa sit in qualibet parte materie, non tamen secundum prius et posterius, quia quando expanditur partes eodem modo disposite sunt, et ita simul expanditur in tota materia. Ad tertium, dicendum quod in eodem instanti imprimitur forma in quo erat suum contrarium, set illud instans habet rationes diversas; si enim in calido introducatur forma frigidi, in eodem instanti erit calidum et frigidum, set illud instans est in quantum terminans respectu preteriti et in quantum initians respectu futuri.

Tertio QUERITUR utrum sit una prima forma sicut una prima materia. Et videtur quod sic: in quolibet genere est ponere unum primum ad quod omnia illa illius generis reducuntur, ergo et in genere forme. AD IDEM: posito uno correlativorum ponitur reliquum, ergo cum sit ponere unam materiam, erit ponere unam formam, cum sint cor-

6 una] eadem *MS.* 21 expansa] inpansa *MS.* 24 expanditur] inpanditur *MS.*

relativa. AD IDEM: unumquodque quanto simplicius tanto magis ad unitatem accedit; set forma simplicior, nobilior, perfectior ipsa materia, ergo cum sit una materia, multofortius et una forma. AD IDEM: per actoritatem in secundo *Methaphysice*, ubi probat statum in omnibus causis. CONTRA: forma dat esse et distinguit illud cui imprimitur; set distinctio est distinctorum, et ita plurium, et ita non erit una prima forma, set plures. ITEM: forma est principium motus, set motus a contrario in contrarium; set ad contrarietatem exiguntur plura, ergo plures erunt. ITEM: substantie et accidentis nichil est commune unius; set si esset una prima forma, illa formis substantialibus et accidentalibus. ITEM: omnis forma inheret; set ratio inherentie prima primitate. ITEM: de potentia alterius, scilicet materie, educitur forma; non ergo potentia, que sit status et origo omnium aliarum; potentia enim materie eodem modo se habet ad omnes formas quantum est de se. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in primo exitu rerum, qui est per creationem, una est forma, scilicet exemplar, et de hac intelligit in *Methaphysica*; set in secundo exitu, scilicet in esse physico quod est per naturam, non est una prima forma, sicut probant rationes. Ad primum contra hoc, dicendum quod quoddam est genus unum unitate univocationis, et de tali intelligitur; aliud genus unum unitate aggregationis, ut est genus natura, et de hoc fit argumentum. Ad secundum, dicendum quod aut potest loqui quantum ad essentiam et sic non datur relatio ad formam, et sic est una; vel quantum ad esse, et sic relatio et plures. Ad tertium, dicendum quod aliquid dicitur simplicius dupliciter et nobilius aut in complendo et perficiendo, et sic forma simplicior materia et nobilior; aut in ratione originis et radicis, et sic materia: prima prioritas repugnat rationi primi, et non secunda.

Hoc habito, QUERITUR de privatione: primo utrum privatio sit principium in natura. Et videtur quod non: 'natura semper appetit quod melius', fine *De Generatione*,

27 datur] dicuntur *MS.*

set privatio ymaginatur ad maleficium, fine *hujus* primi; genus non est bonum; set quod non est bonum a natura non appetitur, ergo etc. AD IDEM: omne principium est conferens, aliter non esset principium; set non est conferens, set resistens ad generationem forme, ergo non est principium. CONTRA: omne quod est principium operationis facte per contrarietatem est principium in natura; privatio est hujusmodi, ergo privatio est principium. Major patet quia omnis operatio naturalis fit per contrarietatem; minor patet de se. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de principiis nature possumus loqui dupliciter; uno modo in facto esse, et sic non est privatio principium, set solum materia et forma; alio modo in fieri, et sic est principium. Cuius prima ratio dicta fuit in argumento hoc probante; secunda ratio est vel causa, quia nisi esset privatio materia non posset recipere diversas formas, immo informata una illa semper maneret in eadem nec esset continua generatio et deficeret natura; tertia ratio vel causa est quia fortificatur operatio nature per privationem et vigoratur in suo opere. Ad primum, dicendum quod hoc est verum de natura universali, et non de particulari. Vel dicendum ad aliam actoritatem, quod privatio ymaginatur ad maleficium sui, et hoc est ad beneficium alterius, scilicet forme, quia sui corruptio est alterius, scilicet forme, generatio. Ad secundum, dicendum quod privatio prohibet in eo quod resistit, set confert in eo quod fortificatur suum contrarium, scilicet forma, ab ipsa, unde resistendo deficit. Et est simile de aqua calida que fortius congelatur quam frigida: unde frigiditas propter resistentiam sui contrarii nititur operari.

Secundo QUERITUR utrum privatio sit forma vel solummodo carentia forme. Quod sit forma videtur: quia privatio est contraria forme; set contrarium forme forma est, quia contraria sunt in eodem genere. AD IDEM: dicit *in littera* quod materia et privatio unum sunt numero, duo tamen specie vel ratione; set privatio ⟨seu⟩ forme carentia et ipsa materia duo specie non sunt, quia illa carentia nichil est,

3 appetitur] appetit *MS.* 20 opere] tempore *MS.*

ergo privatio erit forma vel aliquid hujusmodi. CONTRA: nunquam contraria simul sunt in eodem perficiendo, ergo non fit forma in materia nisi in illa que forma caret, ergo f. 8a 2. carentia forme erit principium quod privatio nominatur. | AD IDEM: per expositionem nominis, quia privatio est alicujus remotio, negatio, vel abjectio; set non abjectio materie nec alicujus nisi forme, ergo privatio erit carentia forme. SOLUTIO: ad hoc notandum quod duplex est opinio. Quidam dicunt quod privatio est carentia forme; alii dicunt quod ipsa est forma existens in materia que per alterius forme ⟨corrumptionem⟩ introducitur: quibus consentimus, tum propter rationes dictas, tum propter ⟨hoc⟩ quia opperatio nature omnis per motum, et motus per contrarietatem. Et ad contrarietatem duo, tum quia carentia forme in materia nullo modo resistit forme introducende, tum quia si esset carentia forme esset non-ens et ita non esset principium, cum in *De Generatione* dicit quod est una materia et duo contraria, et ponit exemplum de hoc quod est calidum et frigidum, quorum utrumque est ens. Ad primam rationem contra hoc, dicendum quod bene concedo quod non possit introduci forma, manente alia; et propter hoc dico quod corruptio unius est generatio alterius: unde, si non esset forma, operatio nature fieret subito, quod est inconveniens. Ad secundam, dicendum quod nominatur contrarium, et hoc in quantum est in transmutatione: natura autem quando fit privatio, deficit; set in facto esse non-ens. Et NOTA hic quod materia, in quantum est principium nature, nullam formam habet actu, et ita hec non ponunt in numerum, scilicet carentia forme et materia.

Tertio QUERITUR utrum hec privatio in omnibus reperiatur. Et videtur quod non: quecunque sub suo actu nullam naturam privationis retinent non habent privationem; set celum et corpora superiora sunt hujusmodi, ut habetur in *De Celo et Mundo,* ergo in eis non est privatio. AD IDEM: cujus fieri non est per resistentiam, in eodem non est privatio; set fieri corporum supercelestium non est per

5 Per] Per nominis *MS.* 13 motum] motus *MS.* 26 natura] metio *MS.*

resistentiam, quia non est in eis contrarietas, ergo in eis non est privatio. CONTRA: quecunque sunt in potentia antequam in actu, illis precedit privatio; set corpora supercelestia sunt hujusmodi, quia non ab eterno, ergo in illis est privatio. AD IDEM: .6. *Physicorum* scribitur, quod 'illud cujus est motus actus est ens in potentia'; set ex hoc sic procedo: omne mobile est ens in potentia; corpora supercelestia sunt hujusmodi, ergo etc.; set in omni ente in potentia est privatio, ergo in eis est privatio. SOLUTIO: ad hoc notandum quod triplex est privatio; una est respectu esse, secunda respectu situs vel ordinis, tertia respectu operis; prima omni creature debetur, quia omnia ex non-esse inceperunt et in idem per naturam propriam resolventur, ab extrinseco tamen opifice reservantur secundum quod dicit Plato: 'o dii deorum, quorum opifex sum et pater, natura quidem vestra dissolubiles estis, voluntate autem mea estis confirmati!'; secunda proprie est in celestibus, unde quando sunt in oriente in potentia ad occidens, et e contrario; tertia est rerum generabilium et corruptibilium: sunt hujusmodi in potentia ad diversas formas et contrarias, et ita ad diversa opera. Per hoc solvuntur argumenta.

QUERITUR hic de materia, primo utrum ipsa sit in spiritualibus. Videtur quod non: quod non est sensibile non habet materiam; spiritualia non sunt sensibilia; ergo non habent materiam. Major patet quia in primo *De Celo et Mundo* dicitur quod omne sensibile est sensibile per materiam. AD IDEM: in un^{mo} *Methaphysice*, materia est secundum quam aliquod videtur, set spiritualia non videntur, ergo non habent materiam. CONTRA: quecunque communicant aliquod genus, communicant principium illius; set substantie spirituales communicant genus substantie, ergo communicant principia materie illius generis, scilicet materiam et formam. AD IDEM: omne receptivum luminis aliunde habet in se illud quod est principium

12 creature] creata *MS*. 14 opifice] operfice *MS*. 27 dicitur] ubi dicitur *MS*.

receptionis, quod est materia; set substantie spirituales a primo recipiunt influentiam luminis ergo in se habebunt principium receptionis quod est materia: proprium enim est materie recipere.

Secundo QUERITUR utrum ipsa materia sit in celestibus. Videtur quod non: primo *De Generatione*, materia est secundum quam contingit esse et non-esse, et etiam .7. *Methaphysice*; set celestia habent esse post non-esse, ergo in ipsis non erit materia. Minor patet quia in perpetuis non differt esse et posse; set celestia perpetua, in *De Celo et Mundo*. AD IDEM: omne habens materiam existens sub una forma possibile est ad aliam: hoc patet de se; set celestia non sunt possibilia ad alias formas, ergo non habent materiam. CONTRA: omne ens in potentia habet materiam; set celestia sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet de se; minor etiam apparet quia illud cujus motus est actus est ens in potentia, ut scribitur in ⟨sexto⟩ *Physicorum*; set motus est actus mobilis, celestia autem motiva sunt.

Tertio QUERITUR utrum eadem sit materia celestium et generabilium. Et videtur quod sic: versus finem *De Generatione* scribitur quod ‘eadem et numero sunt equalia que in perpetuis et in generabilibus’. AD IDEM: quecunque communicant motum communicant principia motus; celestia communicant motum, ergo et principia motus; set omnis motus a contrario in contrarium, et ita principia motus sunt contraria; set contrarietas requirit materiam, ut in *hoc libro* probatur, ergo in celestibus erunt contraria et materia subjecta sicut in generabilibus. SOLUTIO: ad hoc notandum quod sicut actor *Fontis Vite* distinguit triplicem materiam, sic ad presens distinguimus: est enim materia spiritualis, sensibilis, et media; spiritualis est que ⟨non⟩ subjacet quantitati, motui, nec contrarietati, et hec est in spiritualibus et intellectivis et animabus; media que subjacet quantitati, motui, set non contrarietati, et est in celestibus; sensibilis est que subjacet omnibus istis, scilicet quantitati,

1 spirituales] spirituale *MS.* 15 materiam] naturam *MS.* 25 motum] motus *MS.* 28 erunt] erit *MS.*

motui, contrarietati, et hec in generabilibus et corruptibilibus. Per hoc solvuntur argumenta prime et secunde questionis. Set ad tertiam questionem dicendum quod de materia contingit loqui duppliciter; uno modo quantum ad essentiam absolutam, et sic eadem est celestium et generabilium; alio modo quantum ad participationem illius et geminationem, et sic non est eadem. Vel dicendum, quod in idem redit, quod materia considerata quantum ad potentiam remotam eadem est in celestibus et generabilibus, non tamen quantum ad proximam per quam sit necessitas. Et per hoc solvitur ad secundum argumentum. Ad primum, dicendum quod illa actoritas *De Generatione* intelligenda ⟨est⟩ quod eadem et equalia sint secundum proportionem, et non secundum unionem; unde ista materia que est in celestibus totaliter perficitur per formam: unde, ut dicitur in *De Celo et Mundo*, celum est ex tota materia sua et forma.

Quarto QUERITUR de exitu materie prime utrum materia exierit in esse. Videtur quod non: supponendo primo quod primum omnia que producit producit ad ymaginem exemplaris in eo existentis non facti, nec laborati, set a se indifferentis; deinde sic procedo: in eo quod est nobilissimum et perfectissimum non est ponere exemplar alicujus vilis, inperfecti, quia exemplar et exemplatum in modo debent conformari; set materia est imperfectum, vile, indistinctum, ut patet in hoc primo *libro*, ergo in eo quod est nobilissimum, quod est primum, non est ponere exemplar materie, ergo materia ab ipso non proceditur, cum omnia producat per exemplar. AD IDEM: in fine un^{mi} *Methaphysice* scribitur quod intellectus primus non intelligit infima, quia vilesceret, ergo similiter ejus potentia non producet materiam, cum sit vilis, quia vilesceret. CONTRA: tria sunt per ordinem se habentia, scilicet primum, materia, voluntas, ratio vel ars: ita enim se habent quod natura a primo aliquid supponit in quo et ex quo agat, scilicet materiam, et ratio solum a natura ⟨supponit⟩, scilicet materiam artificialem, que est effectus nature: unde

3 tertiam] secundam *MS.* 10 quam] ipsam *MS.* 21 indifferentis] indifferenti *MS.*

materia artificialis, ut lignum, composita est ex materia et forma naturalibus. Patet igitur quod natura supponit effectus primi, et ratio vel ars effectus nature, et ita materia a primo erit producta. AD IDEM: materia cum non sit eterna producitur aut a primo, aut a natura, aut ab arte, cum non sint plura agentia; non a natura, quia cum sit principium in natura, sic natura produceret suum principium, quod est inconveniens, quia produceret illud ex aliquo et non producit ex nichilo; si ex aliquo, tunc esset abire in infinitum; nec ab arte, quia ars supponit a natura illud in quo agit, ergo a primo.

Quinto QUERITUR quo exitu exeat in esse: aut per creationem aut per influentiam aut per concreationem. Hii enim sunt tres modi producendi in primo observati, tamen summe simplicitatis natura.

Sexto QUERITUR de exitu contrariorum in materia. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod uno modo exeunt quedam a primo per creationem, sicut sunt substantie per se stantes, ut intelligentie; secundo modo per influentiam, et hoc modo exeunt ea que sunt in ipsis creatis, ut tempus,
f. 8 b 1 motus, locus: ipsi primo mobili influuntur: | sunt enim passiones que ipsi primo mobili adequantur; tertio modo per concreationem, et sic principia nature. Unde simul fuit productio elementorum et principiorum ipsorum, scilicet materie, forme, privationis; unde concreatum simul creat: Set NOTA quod ista materia in suo exitu geminata fuit, quia una pars fuit ipsius concreata sub suo toto actu, et hec est in celestibus; alia vero pars non, set est materia que est in potentia ad diversas formas que per continuam transmutationem reiterantur circa ipsam. Cum ista etiam parte materie coexeunt duo contraria: ipsa enim materia quantum ad hanc partem de qua loquimur fuit in potentia ad .4. formas elementares quas supponit natura, scilicet duas activas, calidum, frigidum, et duas passivas, humidum, siccum; que sunt ratio transmutationis in suis partibus. Unde prima transmutatio facta a natura fuit transmutatio istorum et alteratio. Hec autem trans-

1 composita] compositum *MS.*

mutatio regulatur per duas formas contrarias, quarum una corrumpitur, que dicitur privatio; altera introducitur que est forma vel habitus. Unde una excellens scilicet forma, altera deficiens, scilicet privatio. Unde omnis mixtio quam generatio naturalis supponit est ex elementis: natura enim altius non ascendit. Ad argumenta prima, dicendum quod ea que per creationem exierunt exemplar habent in primo, set non ea que coexiverunt, cujusmodi est materia. Et NOTA quod materia radicaliter et originaliter prima, set in esse actuali non, set simul, et est simile de universalibus respectu singularium. Set quia hic suppositum est quod privatio non sit forme carentia, set forma, videtur quod hoc sit falsum. Materia appetit formam, aut eam quam habet aut aliam; non eam quam habet, quia appetitus est rei non habite, possibilis tamen haberi; non aliam, quia tunc corruptionem suiipsius appeteret, cum sua forma det sibi esse et complementum, ergo privatio non est forma mediante qua sit hic appetitus, set est pura carentia forme. Ad quod diligenter attendendo, NOTANDUM est quod materia sub una forma potest esse duppliciter; uno modo sub forma complente et exellente, et sic nec eandem nec aliam ⟨appetit⟩, sicut probat argumentum; alio modo potest esse materia sub forma deficiente, et sic appetit aliam cum sua deficiat, ne maneat informis; et ita non propter sui corruptionem, set propter continuationem sui esse, ⟨quod⟩ erat deficiens per adventum et operationem contrarii, et ita semper quod fortius et melius est appetit. Et NOTA hic quod ipsa materia quantum ad essentiam ⟨est⟩ ingenita et incorruptibilis, quia alio modo esset abire in infinitum; set si quandoque generetur et corrumpatur, hoc est per accidens, scilicet per suam privationem, et hoc ut est in esse actuali.

Septimo QUERITUR de hoc quod dicit *in litera* quod illud quod subicitur est unum numero, scilicet materia ⟨et⟩ privatio. Videtur quod non: .5. *Methaphysice* dicitur quod illud est unum numero cujus est materia una per formam unam continuata; set materia et privatio non sunt hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: non sunt unum specie, sicut

dicit *in litera*; ergo nec unum numero; quia ⟨in⟩ *Methaphysica* distinguuntur .4. modi unitatis, et sic se habent quod unum supponit alium, scilicet unum numero, unum specie, genere, et proportione: unde que sunt unum numero omnimodo sunt unum. AD IDEM: si materia et privatio sunt unum numero, ergo privatio non erit nisi pura carentia forme, quia carentia forme non ponit in numerum cum materia: hoc autem prius inprobatum est. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod unum numero dicitur quadrupliciter: uno modo unitate suppositi, et hoc modo procedunt duo argumenta prima, et hoc modo non est materia; alio modo unitate essentie, et sic universale; tertio modo unitate aggregationis, et sic materia cum privatione unum est numero, diversa tamen ratione sicut accidens et subjectum; quarto modo unitate originis et radicis, et sic materia prima in suo esse absoluto vel quantum ad essentiam. Ad tertium, quod pura carentia forme nullomodo differt nec numero nec specie, quia nichil est, et ita non est privatio: unde melius procederet ad oppositum quam ad propositum. Et si opponatur quod tunc ex quo privatio est forma tunc erit materia, in qua ens actu et hoc aliquid, quod contra ipsum in multis locis: dicendum quod non sequitur, quoniam licet sit ens actu, quia illa forma defficiens est, propter quod ipsa materia ad aliam formam tendit et appetit, ut forma spermatis vel seminis. Unde nisi alia forma inprimatur, in tantum defficiens ⟨est⟩ quod ipsa et materia existens sub ipsa tenuissetur et in elementis resolvetur. NOTA hic quod triplex est potentia, scilicet potentia materie que est ad recipiendum, et potentia contrarii que est ad expellendum, et potentia subjecti que est ad utrumque. NOTA tamen quod dicit *in litera* quod 'generatio substantie solum est sinplex generatio'; set hic est distincta, quia possumus loqui de generatione substantie absolute et sic est sinplex, vel in comparatione ad generationem alicujus alterius; si accidentium, adhuc sinplex; si in comparatione ad generationem alterius substantie, sic generatio unius erit sinplex, generatio alterius secundum quid, ut generatio ignis sinpliciter, terre secundum quid, sicut dicitur in *De Genera-*

tione; similiter si loquamur de generatione accidentis ad accidens, tunc generatio unius sinpliciter, ut generatio calidi, generatio autem alterius secundum quid, ut frigidi. NOTA etiam quod in *hoc libro* non datur nec intenditur secundum se et quantum ad propriam ejus naturam, set quantum solum est naturalis vel transmutabilis et hoc per accidens, quia forma est quid divinum, optimum, et appetibile; et hoc dicit versus finem hujus primi libri.

2 accidens] a consequens *MS.*

QUESTIONES SUPRA SECUNDUM PHYSICORUM DE CAUSIS NATURE ETC.

Eorum que sunt alia quidem sunt natura, etc.

Queritur hic primo utrum animalia sint natura vel a natura. Et videtur quod non: que fiunt ab anima non fiunt a natura; animalia fiunt ab anima, ergo etc. Major patet *in litera*. Minor scribitur in primo *De Anima*, ubi dicitur quod anima est 'principium animalium'. Ad idem: quorum completio et actus non est a natura, ipsa non sunt a natura; set quorumdam animalium, scilicet hominum, completio et actus vel perfectio non est a natura, ergo ipsa animalia, scilicet homines, non erunt a natura. Major patet, quia completione et perfectione denominatur unumquodque; minor patet per hoc quod scribitur in libro *De Animalibus*, quod intellectus qui est hominis ultima perfectio ab extrinseco est, scilicet a creatore. Contra: quorumcumque principia generationis sunt naturalia, ipsa sunt a natura; set principia generationis hominis et aliorum animalium sunt naturalia, scilicet seminis decisio, ergo animalia sunt a natura. Cum hoc etiam queratur utrum plante sint natura naturales vel a natura. Solutio: ad hoc dicendum quod quedam sunt animalia que sola anima sensitiva vegetativa disponente perficiuntur, sicut sunt animalia bruta et hujusmodi, tam ex parte principii quam ex parte complementi a natura sunt, quia eorum exitus et conservatio per naturam perficiuntur; similiter plante, quarum perfectio est vegetativa, que nexibus materie vehementer est perplexa: ex ⟨hoc⟩ accidit quod non cognoscunt naturales ⟨utrum natura⟩ vel a natura sunt. Per hoc solvitur annexum. Alia sunt animalia quorum perfectio ultima est intellectiva anima, scilicet homines, vegetativa et sensitiva disponente, et de istis dupliciter est loqui; uno modo ⟨quantum⟩ ad

11 quorumdam] quorum *MS.* 24, 27 perficiuntur] perficitur *MS.*

corpus cum hujusmodi dispositionibus materialibus, scilicet vegetativa et sensitiva, et hoc modo sunt homines naturales vel a natura; alio modo quantum ad animam intellectivam. Et hoc dupliciter; uno modo quantum ad ejus substantiam vel essentiam absolutam et in eo quod voluntas, et sic quantum ad hoc non est naturalis; alio modo quantum ad ejus existentiam naturalem in corpore, et sic est naturalis, scilicet non quia a natura producitur, set quia actus et perfectio corporis naturalis. Ad primam rationem, dicendum quod anima in triplici genere causalitatis se habet ad animalia; effective scilicet, formaliter, et finaliter, et hoc solum intra, non tamen est principium animalium producens vel generans extra. Secunda solvitur per predicta.

Secundo QUERITUR utrum elementa sint a natura. Et videtur quod non: partes quarum totum non est a natura, non sunt a natura; set mundus, quod est totum ad elementa, non est a natura; ergo nec elementa. Major patet in *primo hujus*, ubi dicitur quod totum et | partes similiter se habent. f. 8 b 2.
Minor patet in .8. *hujus*, ubi dicitur quod motus celi est perpetuus vel eternus et incorruptibilis, et ita in natura supponitur nec a natura producitur. AD OPPOSITUM est auctoritas *litere*. Ad hoc etiam plures rationes possent induci, que causa prolixitatis evitande relinquuntur. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod elementa multipliciter considerantur; uno modo quantum ad sui primum exitum et conservationem, scilicet in eo quod sunt substantie et partes universi, et hoc modo non sunt a natura, set a creatore et primi voluntate per quam conservantur; secundo modo quantum ad secundum exitum et in quantum sunt substantie naturales, que per istas qualitates, que sunt gravitas et levitas, in locis propriis conservantur secundum sui totalitatem; tertio modo quantum ad transmutationem suarum partium per istas .4. qualitates activas et passivas, que sunt calidum, etc., siccum; quarto modo in quantum sunt principia materialia rerum naturalium; et hiis tribus modis naturalia sunt. Per hoc solvitur ratio.

31 conservantur] conservant *MS.* 34 siccum] causatum *MS.* sunt] *iter. MS.* 36 naturalia] materialia *MS.*

Tertio QUERITUR utrum naturalia habeant in se principium motus sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: scribitur in primo *De Celo et Mundo* quod motus circularis est naturalis ipsis orbibus, nec habet principium sui intra, set fit ab extrinseco, ut scribitur ibidem. ITEM: scribitur in .8. *hujus* et in primo *Celi et Mundi* quod motus circularis interminabilis est et perpetuus; set principium naturale est terminabile, ergo naturalia circulari motu moventia non habent intra se nec a sua natura principium hujusmodi motus. ITEM: scribitur in .8. *hujus* quod principium generans grave est extra; set hujusmodi est principium motus deorsum, ergo principium motus non est intra, set extra. Et similiter potest obici de principio generante leve, quod est calidum. CONTRA: natura est vis insita rebus similia ex similibus procreans, secundum philosophos; inde sic: quiescere et moveri sunt operationes; set operatio egreditur a vi vel a virtute, virtus a substantia in qua esse habet, ergo naturalia, cum habeant in se vim vel virtutem que natura dicitur, habent in se principium motus. AD IDEM: scribitur primo *Celi et Mundi* quod omnia naturalia per se moventur, ergo etc. QUOD CONCEDO: unde artificialia non habent in se principium motus, quia ab extrinseco eorum forma vel perfectio procedit, nec est essentia aliqua vel virtus ipsi materie unita, sed solum dispositio; unde tota virtus artificialium est a materia, inde est quod artificialia sibi simile generare non possunt: unde si lectus putrefactus proiciatur in terra non generatur ex eo lectulus, set lignum simile ligno ex quo erat: unde si aliquod artificiale, ut anulus de ere, descendat deorsum naturaliter, hoc non est quia habet talem formam artificialem, set quia ex ere est quod est ponderosum, et omne tale naturaliter tendit deorsum. Ad primam rationem contrariam, dicendum quod motus circularis, quantum ad essentiam consideratus, est ab extrinseco principio, tamen quantum ad esse est ab intra. Unde NOTANDUM quod duplex est principium circularis ⟨motus⟩; quoddam est inclinans et voluntarium, et hoc est motor extra; aliud est conjunctum et intrinsecum, et hoc

24, 25 virtus] veritas *MS.*

est dispositio inclinans mobile ad motum. Per hoc solvitur ratio secunda. Ad tertiam: dicendum quod si in generando grave et leve sint extra, in generato tamen intra sunt. Propter quod NOTA quod gravium et levium multiplex est motor; quidam est accidentalis, et hic est removens prohibens; alius est essentialis, et hic est generans grave, ut frigidum, vel leve, ut calidum; alius motor disponens, scilicet dispositio aliqua inclinans mobile ad motum, et hec est intrinseca; alius est motor, scilicet locus vel natura loci conservativa vel activa, ut orizon levium et centrum gravium: est enim centrum locus gravium non continens et ambiens, sed attrahens et conservans, et hic est principium motus extrinsecus.

Quarto QUERITUR de diffinitione nature, que est: 'Natura est principium alicujus et causa movendi et quiescendi in quo est primum et per se, et non secundum accidens.' Videtur quod sit superflua: quia 'principium' et 'causa' idem, ut habetur in *commento* supra primum *hujus*; item, superfluit hoc quod dico 'per se', ex quo ibi apponitur 'primum': item, superfluum 'non secundum accidens', quia per hoc quod dico 'per se' sufficienter intelligitur. Est igitur questio: quid intendatur per hec vocabula 'principium', 'causa', 'primum', 'per se', 'non secundum accidens'? QUOD item diffinitio sit incompetens quantum ad hoc quod dicitur quod 'natura est principium movendi et quiescendi in eo in quo est'; videtur quod multa sunt naturalia que naturaliter semper moventur, nunquam autem quiescunt, ut celestia. ITEM: scribitur in primo *De Celo et Mundo*, quod omnia corpora naturalia per se moventur; set que per se moventur semper moventur nec quiescunt; ergo in eis non est natura principium quietis set solum ⟨motus⟩. ITEM: 'si oppositum in opposito, et propositum in proposito', ergo, si natura est principium motus, alia causa ei opposita erit principium quietis, et non ipsa natura. ITEM: cum natura sit principium per se motus, non erit principium per se quietis, quia idem secundum eandem rationem non est principium contrariorum. CONTRA: idem

10 orizon] orizun *MS.* 23 diffinitio sit] *iter. MS.* 25 in[1]] est in *MS.*

dicitur esse principium motus et quietis, quo accidit motus et quies in rebus; set natura est hujusmodi, quia naturalia moventur et quiescunt a principio intra, quod est eorum natura, ergo natura est principium motus et quietis etc. SOLUTIO: ad hoc notandum quod hujusmodi nomina 'causa', 'principium', 'primum' idem nominant secundum substantiam, tamen a diversis proprietatibus imponuntur, et ratione differunt: est enim 'principium' nomen substantie, 'causa' nomen virtutis, 'primum' commune nomen utrique. Unde NOTA quod per le 'principium' datur f. 9 a 1. intelligi | substantia nature, per le 'causa' substantia ejus sub virtute, per le 'primum' prioritas ejus, scilicet nature, ad motum et etiam motus naturalis ad accidentalem: unde motus sequitur naturam et accidentalis naturalem; per le 'per se' notatur quod sit causa intrinseca, per le 'non secundum accidens', quod sit causa essentialis et non accidentalis. NOTA etiam ad explanationem hujusmodi particule, que est 'principium motus et quietis', quod natura est per quam res naturales in se conservantur. Set duplex est conservatio; quedam est per motum, ut in celestibus; alia est per quietem consequentem motum, ut est in animalibus. Unde que moventur uno motu ab aliis quiescunt, scilicet ab eis motibus quibus non moventur. Unde hec propositio 'Natura est principium motus et quietis', sic est intelligenda quod natura in eis in quibus est motus et quies naturalis est principium istorum. Unde in omnibus in quibus est motus et quies naturalis, hic est a natura et in eis est natura, et non e contrario: omni enim rei naturali non insunt quies et motus naturalis, set cuilibet inest alterum istorum. Unde hec diffinitio data est per posteriora accidentia et effectus. Et NOTA quod quamvis motus et quies nominibus propriis et absolutis sint accidentia, non tamen rebus naturalibus, set essentialia sunt rebus naturalibus in quibus sunt. Vel dicendum quod quibuscumque inest moveri, eisdem inest quiescere a motu pre-existenti: unde celum quiescit a revolutione preterita vel precedenti, que scilicet heri fuit facta vel ante, tamen movetur revolutione hodierna, et ita omnibus naturalibus inest moveri et

quiescere. Vel dicendum quod duplex est quies: quedam est que antecedit motum, et hec est in omnibus naturalibus: unde celestia natura prius habent quietem quam motum, quamvis tempore simul; alia est quies motum consequens, et hanc non habent omnia per naturam, ut celestia que naturaliter in perpetuum movebuntur. Ad rationes ostendentes quod natura sit principium motus et quietis insimul, dicendum quod quies ⟨que⟩ est terminatio motus naturalis non opponitur motui, imo est complementum: unde motus naturalis quieti naturali non est contrarius, set violento, et e contrario; unde per eandem naturam per quam mobilia motu naturali ad aliquem locum moventur, per eandem in eodem loco quiescunt. Set ipsa natura eadem principium est istorum, scilicet motus et quietis, sub differenti ratione: quia principium est motus propter indigentiam conservationis et complementi, principium autem quietis propter ipsum complementum. Unde natura naturalia in quibus est propter indigentiam et distantiam a complemento et conservationem facit movere; quibus repertis et habitis, facit quiescere, ut patet in motu gravium deorsum vel ad centrum, et levium sursum vel ⟨ad⟩ orizonta.

Quinto QUERITUR utrum natura sit principium vel virtus principium tantum. Quod sit principium videtur: quod est principium motus est principium; natura est principium, ergo etc. AD IDEM: natura hic intenta est per materiam et formam divisa, quorum utrumque est principium, ergo natura est principium. CONTRA: natura est vis insita rébus etc., ergo natura est virtus principium, et non principium. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod natura nec est principium tantum nec virtus, set est principium sub virtute, qua disponit ad motum vel quietem. Per hoc solvuntur rationes.

Sexto QUERITUR utrum materia sit natura. Et videtur quod non: natura est principium motus; materia non est hujusmodi, ergo materia non est natura. Major scribitur

15 indigentiam] indifferentiam *MS.* 16 quietis] intus *MS.* 18 indigentiam] ingiam *MS.* 19 conservationem] conservatione *MS.* 27 est[2]] *iter.* *MS*

in litera; minor etiam patet, quia in motu sunt duo, scilicet essentia et esse: essentiam habet a motore et esse a mobili; set materia non est motor, cum sit ens in potentia et incompletum, nec mobile, cum sit quid fixum, permanens, incorruptibile et ingenitum, ut patet in primo *hujus*. AD IDEM: natura est ex similibus similia procreans; set omnis rerum assimilatio est in forma, vel substantiali vel accidentali; ergo sola forma erit natura, et non materia. CONTRA: illud quod est principium rerum naturalium est natura, quia principium et principiatum sunt in eodem genere; set natura est hujusmodi, ergo etc. Gratia hujus:

Septimo QUERITUR utrum materia sit natura ratione substantie vel ratione virtutis. Quod non ratione substantie videtur: substantia est illud quod vere est et est ens absolutum; set natura est ens respectivum, quia naturalium vel in naturalibus vel a naturalibus est, ergo materia non est natura ratione substantie. AD IDEM: scribitur in .5. *hujus* quod in substantia non est motus; set natura principium est motus, ergo materia non est natura ratione substantie. CONTRA: materia est ens perpetuum, ingenitum, et incorruptibile, et in quantum sic est natura; set non est hujusmodi nisi ratione substantie, quia hujusmodi sunt conditiones nobiles que nobilius et modo nobiliori sumpto attrahunt, et hoc est substantie in eo quod substantia; ergo materia est natura ratione substantie. SOLUTIO: ad has questiones dicendum quod est natura, et hoc ratione virtutis superaddite substantie, et non solum ratione virtutis tantum vel substantie. Unde natura est principium primum et causa movendi et quiescendi. Hec autem operationes sunt, set primo et immediate operatio egreditur a virtute, ergo materia et similiter forma ratione virtutis superaddite substantie erunt natura. Vis insita istis principiis, que sunt materia et forma, vocatur natura. Unde habens naturam est id quod est habens vim ad motum vel ad quietem. Ad primam rationem precedentis questionis, dicendum quod de materia dupliciter est loqui; uno modo quantum ad essentiam vel substantiam, et hoc modo non est

3-4 incompletum] incomplementum *MS.*

principium motus; alio modo quantum ad potentiam propinquam et remotam, et hoc modo est principium motus. Unde ille dispositiones que sunt obligantes et inclinantes materiam ad forme receptionem, iste eedem sunt principium quiescendi materiam. Ad secundam, dicendum quod major est insufficiens, quia per hoc quod dico ‘similia ex similibus procreans’ tangitur complementum operis naturalis; set per hoc quod dico ‘vis insita rebus’—et in illa majori propositione | emittebatur—tangitur illud a quo est inchoatio f. 9a 2. operis naturalis, et hec est virtus insita principiis, scilicet materie et forme. Ad ultimam rationem questionis subsequentis, que ostendebat quod materia esset natura solum ratione substantie, dicendum quod perpetuitas vel incorruptibilitas sunt conditiones substantie, non in eo quod est substantia, set in eo quod est sub virtute. Vel dicendum quod duplex est perpetuitas; quedam absoluta, et hec est substantie tantum; alia respectiva vel condita, et hec potest esse substantiarum vel accidentium, non a se, set a suis subjectis.

Octavo QUERITUR de divisione nature que fit per materiam et formam, et est questio utrum hec divisio fiat per aliquid commune istis, scilicet materie et forme. Videtur quod non: quia, si fieret per aliquid commune illis, ergo illi primo convenit nomen nature vel natura, ergo plura erunt membra naturam dividentia, et ita hec divisio nature esset insufficiens: quod falsum est. CONTRA: scribitur in *Posterioribus* quod omnis passio que debetur animalibus pluribus debetur eis per aliquid commune in eis repertum; si ergo natura conveniat materie et forme et de istis dicatur, hoc erit per aliquid commune istis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod natura hic sumitur ut est vis insita principiis rem integrantibus: idcirco dividitur in hec duo que sunt principia rem integrantia, scilicet materia et forma. Ex quo apparet ⟨quod⟩ in hac divisione non intendit compositum, quia principium non est, set principiatum. Propter quod NOTA, ut dicitur *in litera*, quod quedam sunt natura, et hec sunt principia, scilicet materia et forma; quedam habentia naturam et hec sunt composita; quedam sunt

32 integrantia] integram *MS.* 36 s. m. e. f.] *iter. MS.*

secundum naturam, et hec sunt passiones essentiales, ut hec passio ignis que est ferri sursum. Unde, proprie loquendo, omnis natura substantia est, et non e contrario, quia natura nomine proprio sumitur ut est substantia sub virtute. Dicimus igitur quod illud commune istis, scilicet istis materie et forme, est esse principium motus et quietis. Unde, quia materia fluxibilis est et interminabilis et incompleta, ideo ad hoc ut perficiatur movetur, et per eandem virtutem ad naturam habita perfectione et complemento quiescit; similiter, quia forma principium est operis et est actus et complementum, idcirco movetur ad hoc ut operetur, compleat et perficiat. Vel dicendum quod illud commune est mutuus respectus forme ad materiam et e contrario; vel dicendum quod illud commune est vis insita materie et forme: et hoc satis in idem reddit. Ad rationem, dicendum quod istud commune non est aliquid aliud ab istis, set est aliquid utriusque istorum, scilicet materie et forme. Et est simile de compositione per quam predicatum inheret subjecto; que non est aliquid aliud ab extremis, set est aliquid vel aliqua proprietas, modus, vel conditio extremorum, nec addit aliquid differens per essentiam supra illa: similiter est de inherentia accidentis cum subjecto.

Nono QUERITUR utrum ex materia artificiali, ut ex lectulo projecto in terra, possit aliquid generari, ut lignum vel planta. Et videtur quod non: omne quod fit fit ex sibi simili; set similitudo est a forma, ergo ex materia artificiali non generabitur aliquid. AD IDEM: materia et efficiens nunquam incidunt, ut scribitur in *hoc libro*, ergo nunquam ex materia artificiali aliquid fiet vel generabitur, quia sic esset efficiens causa illius generati. IN CONTRARIUM est auctoritas litere. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod duplex est materia; quedam est que est materie tantum, et hec non est sufficiens causa potens in generatione alterius ex se, set necessario requiritur agens extrinsecum vel generans, et hec est materia naturalis que subjacet forme naturali substantiali; alia est materia non materia tantum, set materia et

8 ad[2]] idem *MS.* 9 perfectione] perfectio *MS.* 12 mutuus] mutus *MS.* 23, 26, 29 artificiali] auctuali *MS.* 32 ex] et *MS.*

subjectum, et hec est materia artificialis. Unde in omni materia artificiali est materia et forma naturalis, et hec est potens in generatione alterius, ut ex lectulo constituto ex salicibus projecto in terra generantur salices. Ad primam rationem, dicendum quod naturaliter est quod simile ex simili, et quod similitudo a forma: non propter hoc sequitur quod ex materia artificiali possit aliquid generari, quia in ea est forma naturalis cui aliquid simile generatur: unde si ex lectulo composito ex salicibus projecto in terra generantur salices et non lectulus, ibi generatur simile ex simili, quia forma artificialis lectuli in eo quod lectulus non est substantia a natura vel natura aliqua, set solum quedam dispositio et transformatio extrinseca; set quod tale est quod sibi conformari non potest generari. Unde procedit ratio de materia que est materia tantum, et similiter ratio secunda. Vel dicendum quod materia et efficiens respectu eodem non coincidunt, set respectu diversorum coincidere possunt.

Decimo QUERITUR utrum forma artificialis sit substantialis vel accidentalis. Quod substantialis sic videtur: ex accidente et substantia non fit vere unum; set aliquid accidentale est vere unum, ergo forma artificialis non est accidentalis, set substantialis. CONTRA: quod advenit post esse rei actuale et completum accidentale est; forma artificialis est hujusmodi, ut patet de se, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod forma artificialis ipsi materie ratione qua artificialis substantialis est, set ratione qua naturalis est materia est ipsi materie accidentalis. Per hoc solvuntur rationes.

Undecimo QUERITUR utrum materia sit magis natura quam forma, vel e contrario. Quod materia videtur: omne illud quod est radix de cujus potentia omnia naturalia educuntur magis et maxime est natura; materia est hujusmodi, ergo etc. CONTRA: quod est complementum actus et perfectio rerum naturalium magis est natura; forma est hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod aliquid dicitur magis dupliciter; uno modo in ratione radicis et fixionis, et hoc modo materia; alio modo in

3-4 e. s.] *iter. MS.* 14 generari] *forsan* genitum.

ratione complementi perfectionis et terminationis, et sic forma dicitur magis natura. Per hoc solvuntur objecta. |
f. 9 b 1. Et NOTA quod principium dans esse et complementum ab auctore *in litera* 'species' dicitur, et hoc ut est principium cognoscendi, nuncupatur etiam ratio, ut est principium ordinandi, et etiam nominatur forma, et hoc ut est principium perficiendi.

QUERITUR hic primo utrum physici sit considerare materiam et formam. Videtur quod non, set solum materiam: scribitur in prohemio *De Anima* quod differenter diffiniunt logycus et physicus, quia logycus per formam, physicus autem per materiam, ergo physicus solummodo habet materiam considerare. AD IDEM: dicit Averrois Commentator quod quedam sunt scientie que unam causam tantum considerant, ut methaphysicus efficientem, moralis finem, mathematicus formam, et physicus materiam, ergo etc. AD IDEM: omnis scientia considerans formam et materiam formam est abstrahens, ut patet in mathematicis; set scientia naturalis non est abstrahens vel abstractiva, ergo ipsa non considerat formam. CONTRA: scientia naturalis in corporibus hujus mundi consistit; set corpora naturalia sunt per materiam et formam, ergo scientia naturalis circa materiam et formam consistit. Major et minor scribuntur in *De Celo et Mundo*. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod materia et forma dupliciter possunt considerari; uno modo prout sunt principia entis in eo quod ens, et sic a methaphysico considerantur, alio modo prout sunt principia entis transmutabilis, et hoc modo considerantur a physico, set non equaliter, quia materia principaliter et forma per reductionem ab ipso naturali considerantur: unde forma propter materiam, quia materia est prima natura que est principium motus stans fixum et omnem transmutabilem firmans. Per hoc solvuntur .2. prime rationes, quia physicus materiam principaliter considerat et omnes alias causas per reductionem ad istam; similiter mathephysicus efficientem, et sic de aliis. Ad tertiam: dicendum quod duplex est abstractio: quedam

11, 12[1], 16 physicus] phicicus *MS.* 27 sunt] *iter. MS.*

est forme a materia, et hanc non considerat physicus; alia est universalis a particulari, et istam considerat naturalis, ut inferius videbitur.

Secundo QUERITUR utrum artes faciant vel producant suam materiam, ut dicitur *in litera*. Quod non videtur: omne agens non primum agit ex suppositione effectus determinati ab agente primo, qui effectus est materia per creationem a primo producta; set ars est agens non primum, set secundum, ergo agit ex presuppositione materie, non ergo materiam facit vel producit. Major patet, quia que est comparatio et ordinatio agentium, eadem et effectuum; minor patet de se. AD IDEM: nullum aliud agens a primo potest totam rei substantiam producere, ergo ars materiam cum forma quam producit non potest producere, quia hoc est tota rei substantia, scilicet materia cum forma. AD OPPOSITUM est auctoritas *litere*. AD IDEM: scribitur *in litera* quod materia et forma dicuntur correlative, ergo cum forma artificialis per artem producatur vel educatur, ipsa materia per eandem producetur et fiet, quia correlativorum eadem est causa. . . . eam ex nichilo, et sic primum facit materiam; secundo modo in preparando, et sic artes vel artifices, scilicet superiores imperantes faciunt magis materiam; tertio modo in eligendo, et sic artifex usualis; .4. modo in disponendo et formam imprimendo, et hoc modo inferior artifex operans facit materiam. Unde NOTA quod natura et ars possint in compositione principiorum rei, non tamen in eorum productione. Per hoc solvuntur rationes.

⟨Tertio⟩ QUERITUR utrum homo sit finis omnium secundum quod dicit *in litera* quod 'nos sumus quodammodo finis omnium'. Et videtur quod non: *in litera* habetur quod finis sequitur motum eorum que sunt ad finem; set homo non sequitur semper motum ordinatum ad finem vel ad bonum: unde non semper sequitur motum celestium, quia motus celestium est ut homo moveatur ad bonum, ergo homo non est finis omnium. AD IDEM: finis nobilior est

6 effectus] affectus *MS.* 11 comparatio] comparatum *MS.* 21 *No break in MS.* 22 artes] arte *MS.* 27 eorum] earum *MS.*

eis que sunt ad finem, set corpora supercelestia nobiliora sunt quam humana, ergo homo non est finis celestium, set e contrario. Major patet in libro *Tophicorum*; minor in *De Celo et Mundo*. AD IDEM: homo non est finis intelligentiarum, quia intelligentia nobilior quam homo a parte corporis, hoc est planum: item a parte anime, quia intelligentia propinquior est luci increate, nec habet mobilitatem vel appetitum nisi ad bonum, anima autem ad bonum et ad malum, ergo homo non est finis omnium. CONTRA: scribitur in libro *Fontis Vite* quod substantia prima vel intelligentia movet celum, celum autem movetur propter elementa, elementa propter mixtum, mixtum propter vegetativum, vegetativum propter sensitivum, sensitivum propter intellectivum quod est hominis perfectio, et hec est ultima forma ad quam stat tota quies operationis nature. AD IDEM: scribitur in *De Celo et Mundo* quod orbis primus est causa communis vivi: est ergo propter generationem; set generatio plante propter generationem animalis, generatio animalis propter generationem hominis, generatio hujus, scilicet hominis, non est propter alterius generationem, ergo homo est etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod homo finis est omnium, quia finis est intelligentiarum, naturalium, et artificialium: intelligentiarum, quia intelligentie movent orbes quatinus ⟨in⟩ corpora organica anima intellectiva introducatur; finis similiter naturalium, quia omnia naturalia propter hominem fiunt et ad ipsum reducuntur, et ⟨per⟩ istius naturam natura aliorum animalium cognoscitur, ut scribitur in libro *De Animalibus*: unde natura hominis notior est, et ocultum cognoscitur per notum, ut habetur in *De Plantis*; unde habetur in libro eodem, scilicet, vegetativum et planta finis animalis, et animal finis hominis; unde homo est microcosmus, id est minor mundus, in quo omnia majoris mundi relucent. Est autem finis artificialium quantum ad necessitatem ex necessario eorum quod propter hominem ab
f. 9 b 2. homine | sortiuntur, et item quantum ad usum, quia ad conservationem et delectationem hominis artificialia fiunt. Ad rationem primam: dicendum quod major est vera de fine intra: homo non est finis intra, set extra. Ad secun-

dam, dicendum quod de corpore celesti et humano dupliciter est loqui; uno modo a parte sui ipsorum, scilicet substantie eorum, et hoc modo corpus celeste nobilius, cum sit incorruptibile; alio modo a parte eorum perfectionum, et sic homo nobilius, cujus perfectio est anima rationalis. Vel dicendum quod aliquid dicitur esse nobilius altero dupliciter; uno modo nobilitate nature, scilicet ex parte principiorum componentium, et hoc modo corpus celeste nobilius, quia est nexus indisolubilis; alio modo nobilitate gratie, et sic corpus humanum, quamvis corruptibile, cum nobilitate gratie ad incorruptionem et eternitatem merito bonarum operationum dispositum, et sic sufficienter effectum trahitur et in patria in perpetuum delectatur. Ad tertiam, dicendum quia homo vel anima habens indifferentiam arbitrii sive voluntatis libere ad bonum vel ad malum et etiam vel compactionis debilis est, si ad bonum se convertat, merito nobilitate gratie nobilitatis creaturarum efficitur ⟨finis⟩ et ita nobilior ipsa intelligentia que natura nobilior est et compactionis forme atque nexus indissolubilis, libertatem arbitrii ad bonum necessario inclinatam obtinens.

Quarto QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod 'homo generat hominem et sol', et est questio utrum homo generat hominem. Et videtur quod non: scribitur supra *Commentum* .7. *Methaphysice* quod generans dat formam et speciem generato; set homo non dat formam homini, quia anima intellectiva forma est hominis, que a creante infunditur, ergo etc. AD IDEM: scribitur in primo *De Generatione* quod in generatione fit hoc totum, scilicet forma et materia, que sunt totum esse rei; set homo non dat vel producit formam hominis, scilicet animam intellectivam, set creator, ergo etc. CONTRA: scribitur .7. *Methaphysice* et *undecimo* quod 'omne quod fit fit ex sibi simili nomine et specie'; ergo oportet quod homo fiat ex aliquo quod sit eiusdem speciei illi; non est aliquid ejusdem speciei cum homine nisi homo; ergo homo fit generatus ab homine. Gratia hujus:

QUERITUR de secunda parte auctoritatis, scilicet utrum sol generat hominem. Et videtur quod non: scribitur in

12 sic] si *MS*. 35 fit] sit *MS*.

primo *De Generatione* quod omne agens naturale agit per contrarietatem et resistentiam; set soli nichil est contrarium, cum sit corpus rotundum, ut habetur in primo *Celi et Mundi*, ergo non est agens nec generans naturale, ergo sol non generat hominem, cum sit omni generato operatio naturalis. AD IDEM: 'omne quod fit fit ex sibi simili', ut visum est nuper; set homo non est similis soli, cum sit quid corruptibile, ergo etc. AD IDEM: generatio hominis generatio est per aptitudinem et seminis decisionem; set sol non est substantia potens pati seminis decisionem, cum sit perpetuum intransmutabile secundum formam, ergo etc. CONTRA: omne agens particulare in sua operatione ab aliquo universali agente regulatur, cum particulare agens non ⟨sit⟩ causa sufficiens potens per se in effectus perducere; set homo est agens particulare vel generans, ergo homo in generatione ab aliquo universali agente regulatur et juvatur; hoc autem erit a sole qui aperte in hec inferiora ad eorum evolutionem influit, ergo etc. Propter majorem evidentiam questionum istis annectimus:

Quid istorum, scilicet solis et hominis, magis conferat vel influat ad generationem hominis. Videtur quod sol: propositio prima *De Causis* 'omnis causa prima plus influit supra causatum quam secundaria'; set sol est causa prima et universalis generationis hominis, homo autem particularis et secundaria, ergo etc. AD IDEM: scribitur in libro *De Maximis Theologie* quod 'quicquid potest virtus inferior potest virtus superior, et non convertitur', ergo sol qui est habens virtutem superiorem ad generationem totum et amplius quam homo conferet et influet. CONTRA: omne generans sibi generatum assimilans plus confert generato quam non assimilans; set homo est generans assimilans, et non sol, ergo etc. SOLUTIO: ad istas questiones notandum quod ad generationem hominis duplex concurrit, scilicet universale et particulare. Unde, sicut dicit Commentator Averrois, generans particulare antequam generatio

8 generatio] genera *MS.* 14 perducere] producere *MS.* 18 eorum] earum *MS.* 30, 31 assimilans] assimulans *MS.* 31 quam] et *MS.* 33 concurrit] currit *MS.*

compleatur relinquit generatum incompletum, universale autem agens vel generans, scilicet sol, illud conservat, disponit, et complet: unde semen decisum a parentibus existens in matrice, nisi esset virtus solaris conservans, cito corrumperetur; a qua virtute tanquam ab extrinseco motore cum adjutorio virtutis existentis in semine, quod est motor intra, conservatur et circumdatur et perfectionem tribuit ut in brutis, set non in homine, et ad susceptionem ultime perfectionis disponit, que est in homine anima rationalis data ab extrinseco. Propter quod, ulterius NOTANDUM quod multiplex est generatio; quedam est per simplicem conversionem, ut est generatio elementorum, ut quando ignis generatur ex aere, in cujus generatione generans particulare, quod est caliditas disponens non dat materiam generato; secunda est generatio per commixtionem, ut generatio mixtorum inanimatorum, sicut generatio carnis vel ossis ex elementis; tertia est per putredinem, in qua non est particulare generans, sed solum universale, scilicet sol, ut generatio vermium ex cadaveribus, et muscarum, et hujusmodi; .4. est generatio per propagationem, et hec est generatio proprie dicta que fit per seminis decisionem, et est animalium perfectorum, et hec est duplex ut jam videbitur. Set prius NOTA quod sol in qualibet generatione est universale generans vel causa, nec in aliqua prebet materiam generato. Revertentes igitur, dicimus quod duplex est generatio propria, scilicet per propagationem; quedam brutorum animalium, et in ista generans particulare prebet materiam et dispositionem decindendo semen cum virtute sua, que est motor intra, universale autem secundum quod tribuit complementum; alia est generatio, scilicet hominis, et in ista generans particulare, scilicet homo, prebet materiam et etiam virtutem que ad dispositionem coadjuvat, sol autem dispositionem sufficienter confert, set creator perfectionem, scilicet animam intellectivam, | infundit. Per hoc f. 10 a 1.
solvuntur due questiones principales. Ad primam rationem questionis precedentis, dicendum quod major natura est in alia generatione a generatione hominis, scilicet quod gene-

3 decisum] decisisum *MS.* 30 alia] illa *MS.*

rans dat formam et speciem generato. Vel dicendum, et melius, quod species vel forma duo nominat: uno modo nominat formam substantialem esse dantem complete, et hoc modo intelligitur auctoritas; alio modo nominat virtutem, et sic intelligitur: unde homo in decisione seminis decindit propiam virtutem et prebet generato, que virtus prohibet ni semen ad aliam formam tendat vel inclinetur quantum est ex se; unde si ex semine equi in asina generatur aliquod animal, ut mulus, hoc non erit pure equus nec asinus, set cum utroque particulat et utrique secundum diversas sui partes vel proprietates convenit et assimulatur. Vel dicendum quod hominis duplex est forma; quedam est que est totum complectens, que ipsum reponit in specie, scilicet humanitas, et hanc dat; alia est que est actus et perfectio corporis, et hec non est ab homine, set a creante, scilicet anima intellectiva. Per hoc solvitur ad secundam. Vel dicendum quod quando dicitur 'in generatione naturali producitur li totum hoc', est intelligendum non quia natura principia producat, set quia unit. Propter quod NOTANDUM quod unio anime cum corpore potest dupliciter considerari; uno modo a parte corporis, et sic est naturalis; alio modo a parte creatoris, et sic est voluntaria. Ad primam rationem subsequentis questionis, dicendum quod major vera est de agente quod communicat in materia cum passo mobili; tale autem non est sol. Ad secundam, dicendum quod illa auctoritas .7. vera est et intelligenda quantum ad generans particulare, et non quantum ad universale. Vel dicendum quod homo generatus a sole generatur quodammodo a simili sibi, quia a virtute solis ordinatur ad suam generationem, que in hoc quodammodo est ei similis. Ad annexum, dicendum quod 'magis influere' hoc multipliciter ⟨est⟩; uno modo quantum ad originem generationis et radicem, et sic homo plus influit, quia materiam prebet; secundo modo quantum ad assimilationem, et sic iterum homo, quia attribuit speciem ut species nominat virtutem; tertio modo quantum ad continuitatem, et sic sol plus influit, quia gene-

11 convenit] conveniret *MS.* 13 complectens] completens *MS.* 15 hec] hoc *MS.* 23 questionis] rationis *MS.* 24 quod] et *MS.*

ratio habet continuitatem a sole, ut habetur in fine *De Generatione*; .4. modo quantum ad complementum, et sic iterum sol, quia prebet dispositiones materie, quibus existentibus in materia, materia sit habilis ad susceptionem forme nobilioris; .5. modo ad conservationem, et sic iterum sol plus influit, quia ipsum semen conservat preparando et disponendo; .6. modo dicitur plus influere quia diutius, et sic etiam sol, quia postquam semen decisum est non cessat sol influere in ipsum dispositiones habilitantes producendo quousque fiat completa generatio. Per hoc solvuntur rationes.

Quinto QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod abstrahentium non est mendacium. Videtur quod sic: omnis intellectus accipiens rem aliter quam sit est mendax; set intellectus abstrahentium est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia 'veritas ⟨est⟩ adequatio rerum et intellectuum', unde tunc dicitur verum quando sic est in re sicut per orationem designatur; minor patet, quia abstrahens intellectus abstrahit formam a materia, et accipit eam que est in materia, non ut est ⟨in⟩ materia; set forma absque materia esse non potest nec e contrario, quia correlativa sunt, ut scribitur in *hoc secundo*; ergo accipit formam alio modo quam ⟨in materia⟩, ergo etc. AD IDEM: omnis accipiens accidens in separatione a subjecto est mendax; set abstrahens est hujusmodi, ergo etc. Major patet per hoc quod dicitur in primo *hujus*, quod passiones vel accidentia non separantur a subjectis; minor patet per ethimologiam vocabuli, quia qui abstrahit accipit formam accidentalem, scilicet aliquam magnitudinem, preter materiam subjectam vel subjectum. CONTRA: nullus accipiens rem sicut est ⟨est⟩ mendax; abstrahens intellectus est hujusmodi, ergo etc. Major patet de se; minor etiam apparet, quia essentie rerum sunt impermixte: nominat enim essentia quid absolutum, ergo si intellectus accipiat veritates vel essentias rerum et accidentium ut abstractas separabiles vel separatas, accipit eas sicut sunt, et hoc sic acceptum abstractum vocatur. SOLUTIO: ad hoc notandum quod duplex est esse rei: quoddam est actuale,

4 habilis] abilis *MS*. 9 habilitantes] abilitantes *MS*. 12 sic] sermo *MS*. 35 sic] autem *MS*.

naturale, materiale, conjunctum, et hoc esse considerat naturalis, unde considerat formam in materia et quantum ad illud esse quod habet per materiam; aliud est esse essentie, formale, et separatum vel abstractum, et hoc est esse quod habet existens in materia, non per naturam materie, et hoc esse considerat mathematicus. Unde considerat formam que est in materia non quantum ad illud esse quod habet per materiam, scilicet conjunctibile, set quantum ad esse essentie, et ita accipit eum sicut est quantum ad istud esse essentie. Unde cum dicitur 'mathematicus non accipit formam in materia' potest esse ibi negatio modi accipiendi, et sic est propositio vera et intellecta; vel rei accepte, et sic est falsa. Unde mathematicus non negat inherentiam forme in materia vel excludit, set illam formam in quantum est ⟨in⟩ materia non accipit. Unde accipere rem habentem utrumque esse, scilicet actuale et essentiale, in suo esse essentie, non est falso accipere nec mendacium; set si res habens esse actuale tantum in esse essentie accipietur vel e contrario, mendacium esset. Unde magnitudo propter suum duplex f. 10a 2. esse quod tangitur, cum dicitur 'differt magnitudo | et magnitudinis esse', ab intellectu abstrahente et a non-abstrahente vere accipitur. Unde physicus magnitudinem accipit in esse actuali, mathematicus autem in esse essentie, et sic uterque vere, mathematicus tamen verius et purius et absque errore. Propter quod signanter dictum quod abstrahentium, scilicet mathematicorum, non est mendacium, quia mathematicus essentiam, quod est quid absolutum, intransmutabile, considerat et ex intellectu procedit; physicus autem esse quod est transmutabile considerat, et magis sensibilia atque mutabilia, circa que difficile est verum dicere, errare autem facile vel mentiri. Ex quo patet quare dicit mendacium pocius quam dicere falsum, quia mentiri addit supra dicere falsum: est enim mentiri dicere falsum et se scire falsum, unde 'mentire' contra mentem ire: omnis enim mentiens dicit falsum, et non e contrario, unde signanter dicitur; et abstrahens vel mathematicus

20 quod] et *MS.* 22 abstrahente] abstrahende *MS.* 25 quod[2]] et *MS.* 32 falsum] item *MS.* 36 mathematicus] methaphysicus *MS.*

non mentitur, quia cum ex intellectu procedat nunquam in eo quod hujusmodi dicit contra intellectum. Que jam dicta per exemplum de universali potes perpendere: est enim universale quantum ad esse actuale et naturale quod habet per singularia unum in multis, tamen in esse essentie et congnoscitivo ab anima non ut sic est, set ut est unum preter multa. Per hec solvuntur rationes. Sed ut predicta ad majorem evidentiam reducantur, diligenter est NOTANDUM quod multiplex est abstractio; quedam est non nomine proprio, set communi et extenso, que idem est quod separatio, et sic methaphysica est de abstractis, id est, de separatis; unde abstractum est quod est vel fuit materie unitum secundum eam, set secundum essentiam et per intellectum ab ipsa sejunctum est; separatum autem est ⟨quod⟩ nunquam fuit aliquo modo materie unitum, sicut sunt res divine. Secunda est abstractio proprie dicta, que est rei a re, scilicet forme a materia, et hanc considerat mathematicus. Tertia est intentionis a re, et hec est physica, quia ex multis singularibus comprehensis intellectus abstrahit universale quod est predicabile de hiis: unde hujusmodi, scilicet homo, leo, sunt in natura, hec enim prima et principia in opere nature intenduntur. Quarta est abstractio intentionis ab intentione, et hec fit in logyca: unde ex istis primis intentionibus, 'homo', 'leo' et hujusmodi, abstrahitur una communis intentio, que est species, que est universale in logyca; et ita patet quod logyca est de secundis intentionibus adjectis primis; et similiter dicendum est de aliis universalibus, scilicet genus, differentia etc.: unde universalia finita et in numero definito, c. 5. set naturalibus non, set infinita quoad nos.

QUERITUR hic primo de modo procedendi. Et est questio quare actor non diffinit causam sicut dividit. Ad quod dicunt quidam quod causa dicitur equivoce vel annologice de .4. causis, et propter hoc non potuit eam diffinire. Set CONTRA: natura est similiter annologica ad materiam

16 divine] divire *MS.* 24 primis] principiis *MS.*

et formam, quia pro prius de uno quam de altero, tamen ipsa natura diffinitur; utrumque patet in *hoc secundo*, ergo similiter eam propter equivocationem vel annologiam non debet diffinire. AD IDEM: Boethius diffinit causam, dicens 'causa est ad cujus esse sequitur aliud', etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod causa dupliciter potest considerari; uno modo quantum ad id quod est, scilicet substantiam vel essentiam, et sic causa in communi non potest diffiniri, cum una sit completa altera ⟨non⟩, nec habent commune aliquid; alio modo quantum ad intentionem. Et hoc dupliciter; quia uno ⟨modo⟩ consideratur in ratione et intentione abstrahendi, et sic potest diffiniri, non diffinitione que est per priora indicans esse rei, set diffinitione que est per posteriora, scilicet per effectus; alio modo in ratione apponendi ad causandum et sumitur in communi, non diffinitur, quia non ⟨est⟩ eadem ratio per quam omnes cause apponuntur ad causandum; et hoc modo considerans naturalis causam in communi non diffinit, et etiam quantum ad substantiam; Boethius autem considerans ipsam quantum ad intentionem predictam ipsam diffinivit. Per hoc solvitur secunda ratio. Ad primam: dicendum quod annologia non impedit, sicut probat ratio, set equivocatio; nec etiam hic propter causam predictam debet diffiniri.

Secundo QUERITUR de diffinitione cause, que est 'causa est ad cujus esse sequitur aliud.' Et videtur quod sit erronea: 'aliud' dicit rationem et diversitatem entis completi; set materia est quid incompletum: hujusmodi autem non est producere quid completum, ergo hec diffinitio materie non competit. AD IDEM: finis est ultimum causarum, set post ultimum nichil, ergo post finem nichil, ergo ad ejus esse non sequitur aliud. CONTRA: causa et principium idem; set in *primo hujus* scribitur quod principium est alicujus vel aliquorum, ergo similiter causa erit alicujus vel aliquorum. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod li 'aliud' potest dicere alietatem cause, et sic non ponitur in illa diffinitione, quia esset incompetens; vel potest dicere alietatem effectus, et sic est intelligendum in illa diffinitione. Ad primam rationem, dicendum quod quamvis materia de se sit princi-

pium incompletionis, tamen per concursum dispositionum cum mixtione aliarum causarum secum principium est completionis; vel quod 'sequi aliud' hoc est dupliciter; uno modo ⟨in⟩ esse, et sic non intelligitur; alio modo in intentione, et sic intelligitur, unde non sequitur ad materiam esse aliquid aliud ⟨in⟩ esse, set ad materiam esse sequitur aliquid aliud in intentione. Vel dicendum quod hoc nomen 'causa' non sonat unum genus cause, set totam communitatem causarum simul. Ad secundam rationem, dicendum | quod finis, etsi ultimum sit in generatione, tamen prius est f. 10 b in intentione, et quia hec diffinitio data est de causa quantum ad intentionem, ideo specialiter fini competit. Vel dicendum quod quamvis finem non sequitur alia causa, tamen eum sequitur alius effectus; unde, quamvis finis sit ultima causarum, tamen prior est effectibus et post ipsum est effectus.

Tertio QUERITUR de numero et sufficientia causarum. Et videtur quod non debent esse nisi .3. cause: causa et principium idem, ut dicit Commentator supra *istum librum*; set tantum sunt .3. principia in natura, ergo tantum erunt tres cause. ITEM: quod sufficiunt due cause tantum videtur: cause sunt que rem integrant et constituunt; set ad rei integritatem duo sufficiunt, scilicet materia et forma, ergo etc. Propter cujus evidentiam:

Quarto QUERITUR de ordine causarum. Quod efficiens sit prior aliis videtur: illa causa ⟨que⟩ est principium primum movens est prima; efficiens est hujusmodi, ut scribitur *in litera*, ergo etc. Quod materia sit prima videtur: id ex quo res primo fit et in quod resolvitur ultimo est primum; materia est hujusmodi, ut scribitur in primo *libro*, ergo etc. Quod finis sit prior videtur: scribitur *in litera* quod finis est causa causarum, ergo alie cause sunt effectus finis; set causa prior est effectu, ergo finis prior aliis. Quod forma prior sit videtur: scribitur in *De Causis* 'primum creaturarum est esse'; set esse est a forma, ergo forma vel est prima creatura vel est primum in creatura, ergo est prior aliis causis. SOLUTIO: ad precedentem questionem dicendum quod numerus causarum sic ponitur. Omnis causa

2 mixtione] mistionem *MS.* 20 tres] due *MS.*

aut est causa in fieri aut in esse; si fiendi vel in fieri, hoc est dupliciter; quia aut est movens ut excitans, et sic finis; aut est movens ut operans et producens, et sic efficiens. Si sit causa in esse vel essendi, hoc est dupliciter; quia aut in potentia, et sic materia; aut essendi et in actu, et sic forma. Vel sic: omnis causa aut est causa motus aut mobilis; si motus, hoc est dupliciter; aut excitans et movens secundum methaphoram, et sic finis; aut operans et movens secundum veritatem, et sic efficiens. Si sit causa mobilis, dupliciter; quia aut in potentia et sic materia, aut in actu et sic forma. Vel sic: secundum Aristotelem dicentem quod tot sunt cause, tot modis absolvitur questio 'propter quid'; set questio 'propter quid' .4. modis absolvitur, scilicet reddendo materiam, finem, efficientem, vel formam; et ideo .4. sunt et non plures. Ad primum objectum, dicendum quod scilicet principium et causa in re eadem sunt, tamen ratione differunt. Unde principia in sui communitate .4. sunt, set in sui approximatione tria. Unde omne principium est causa, et non convertitur. Secundum solvitur per predicta, quia procedit de causis intrinsecis essendi rem integrantibus, que due sunt; scilicet materia et forma. Ad questionem .4., que est de ordine, NOTANDUM quod cause multipliciter possunt considerari; uno modo secundum sui ordinationem in generibus propriis, et sic non ordinande secundum prius et posterius adinvicem, set distincte; secundo modo possunt considerari cause prout concurrunt ad effectum: in effectu autem duo sunt, scilicet quod est incompletum, et esse quod est quid completum; set in eodem prius est incompletum, scilicet fieri, quam completum, scilicet esse, et hoc genere et ordine. Et quantum ad hoc prius sunt cause fieri, scilicet efficiens et finis, quam cause essendi, scilicet materia et forma; tamen complemento et actualitate e contrario ordinantur, scilicet quantum ad effectum, constitutionem, et integritatem, et hoc modo materia et forma priores sunt efficiente et fine. Iste autem cause, scilicet efficiens et finis, sic ordinantur, quia possunt considerari quantum ad prosequtionem et

2, 7 excitans] exitans *MS*.

operationem, et sic efficiens prior, unde est primum principium motus ad hoc quod res sit, et finis ultimum; alio modo quantum ad intentionem, et sic finis primum principium motus, non tamen secundum veritatem, set secundum methaphoram, quia non movet rem vel effectum, set intentionem efficientis: unde finis excitat efficientem, efficiens autem excitatus a fine materiam transmutat, preparat, vel disponit, et habilitat, quibus dispositionibus mediis in ipsa materia que jam sit necessitas forma mox imprimitur; et ita patet quod hoc ordine forma est ultimum, et hoc est quod dicitur in *hoc secundo* quod in habentibus motum optimum forma est ultimum. Similiter cause essendi, scilicet materia et forma, dupliciter considerantur; quantum ad originem et radicem, et sic materia prior; alio modo quantum ad complementum et nobilitatem, et sic forma precedit materiam; tertio modo possunt considerari hujusmodi cause secundum quod diversis artificibus appropriantur, et sic materia prior quantum ad naturalem, efficiens prior quantum ad methaficicum, finis prior quantum ad moralem, forma prior quantum ad mathematicum. Per hoc solvuntur rationes diversis viis procedentes.

Quinto QUERITUR utrum causa dicatur de suis modis, scilicet de .4. causis per aliquid commune, et, si sic, quid sit illud. Et videtur quod ⟨non⟩: quidquid inest priori et posteriori per aliquid prius est tam priori prius quam posteriori, ergo, si nomen cause competat .4. causis per aliquid commune, ipsi communi per prius competet, et, si sic, plures erunt modi causarum quam .4. hic assignati: quod est falsum. CONTRA: scribitur in *Posterioribus* 'omne quod inest aliquibus inest eis commune per aliquid', ergo etc. Quod illud commune non sit intentio videtur: naturalis non considerat intentionem, | set ipse considerat f. 10 b 2. ista .4., scilicet efficiens, materiam, etc., in eo quod cause sunt, ergo illud commune per quod nomen cause sortiuntur non est intentio. Quod non sit res videtur: quia aut esset

6 excitat] exitat *MS.* 7 excitatus] exitatur *MS.* 8 habilitat] abilitat *MS.* mediis] medis *MS.* 13 considerantur] consideratur *MS.* 25 est tam] non *MS.*

causa aut effectus; causa non est, quia plures essent cause, nec effectus, quia illud commune prius est ipsis .4. causis cum sit eis communius et ita effectus prior causa: quod est impossibile. SOLUTIO: ad hoc dicendum, quod causa dicitur de suis modis per aliquid commune et est illud commune mutuus respectus vel inclinatio cause ad causatum. Ad rationem contra hoc, dicendum quod illud commune non est aliud a causa et effectu, set est aliquid cause et aliquid effectus; et sic patet quod non oportet quod sint plures modi cause. Ad illud quod queritur utrum sit intentio, dicendum quod iste mutuus respectus communiter loquendo intentio potest appellari; tamen proprie loquendo nec est intentio nec res, cum non differat ab istis modis, set est aliquid istorum. Ad rationem probantem quod non sit intentio, dicendum quod quamvis physicus non consideret intentionem cause, set substantiam et approximationem ad causatum, nichil prohibet tamen quin causa habeat aliquid commune per quod de suis modis dicatur.

Sexto QUERITUR de diffinitione materie posita *in litera*, que est: 'materia est ex quo aliquid fit cum insit.' Quod sit incompetens videtur: quia commune alii quam materie, scilicet forme: est enim forma alterum componentium, et etiam magis complet et perficit compositum, ergo forma est illud ex quo res maxime fit. CONTRA: illud quod remanet est illud ex quo fit res maxime; materia remanet, quia scribitur in primo *hujus* quod subjectum manet, scilicet materia, contrario corrupto scilicet, ergo etc. Et propter hoc diversarum diffinitionum materie in diversis locis ab Aristotele repertarum, queratur sufficientia et numerus. (SOLUTIO): ad questionem dicendum quod hec diffinitio competens est, que dupliciter exponitur; uno modo sic 'materia est ex quo fit aliquid, cum insit', id est, cum substet vel subsistat, est enim materia substratum in genere; alio modo exponitur 'cum insit', id est, cum forma insit, forme enim est inherere: ex materia enim et forma fit compositum, set ex materia tanquam ex subsistenti, et etiam tanquam ex principio originali et radicali, ex forma autem

6, 11 mutuus] mutus *MS*. 32 quo] qua *MS*.

tanquam ex principio complente et perficiente. Per hoc solvitur ratio contraria. Ad annexum, dicendum quod materia dupliciter consideratur; uno modo ut est ultimum resolutionis, et sic diffinitur in primo *hujus* 'materia est in quam ultimo omnia abeunt'; secundo modo ut est principium compositionis. Et hoc tripliciter consideratur; uno modo ut est principium remotionis, scilicet in remota dispositione, et sic diffinitur in *primo* sic: 'materia est ex quo primo fit res'; secundo modo ut est in propinqua dispositione, et sic diffinitur in *hoc secundo*, ut visum est; tertio modo ut est summe et ultimo disposita, scilicet facta necessitas, et sic diffinitur in libro *De Anima* sic 'materia est quod cum sit necesse est hoc esse'.

Septimo QUERITUR de diffinitione forme posita *in litera*, que est: 'forma est quod aliquid erat esse.' Contra quam sic obicitur: hoc quod est 'erat', cum sit temporis preteriti nominat preteritionem et pre-existentiam, ergo ante exitum manifestum forme prius fuit; set non potuit esse in se, ergo latitans in materia, sicut ponebat Anaxagoras et in primo *libro* improbatur. Cum hoc etiam, de hoc quod dicitur *in litera* quod exemplar est forma, dubitatur. Et videtur quod non: scribitur in *hoc secundo* quod forma est ultimum in habentibus motum continuum; set exemplar non est ultimum set primum, quia prius est in mente artificis quam domus ad ejus imitationem producta, ergo forma non est exemplar. AD IDEM: forma in eo quod forma dicitur ad materiam propriam cui imprimitur et in qua introducitur; set exemplar non est hujusmodi, quia secundum unum et idem exemplar existens in anima plura producuntur, ergo exemplar non ⟨est⟩ forma. CONTRA: quod est principium cognoscendi et operandi est forma, quia hee sunt proprietates et conditiones forme; set exemplar est hujusmodi, ergo etc. Quapropter numerum et sufficientiam diffinitionum forme predictis addamus inquirendam. Ad quod primo NOTANDUM quod forma potest considerari tripliciter. Uno modo quantum ad sui exitum in esse, et hoc modo diffinitur hic 'forma est quod quid erat esse';

29 producuntur] producitur *MS*. 37 hic] hic, hoc modo *MS*.

unde formarum naturalium exitus secundus est de potentia materie per agens exterius, et ita partim ab extrinseco et partim ab intrinseco producuntur. Per hoc quod dico 'quid' vel 'aliquid' refertur substantia forme; per hoc quod dico 'erat' ⟨refertur⟩ pre-existentia ejus in potentia materie; per hoc quod dico 'esse' reffertur ejus actualitas in materia. Secundo modo consideratur forma quantum ad sui esse quod habet post exitum, et sic diffinitur forma in libro *De Anima* sic 'forma est quod quid est', et patet expositio hujus diffinitionis per predicta; unde idem est ac si diceretur 'forma est substantia pre-existens in potentia materie quantum ad primam dispositionem vel existens quantum ad secundam, que in actu educta dat esse materie'. Tertio modo consideratur quantum ad suas proprietates vel operationes, quod sic diffinitur in *primo libro* sic: 'forma est divinum, optimum, et appetibile': per 'divinum' ratio causalitatis effective circumloquitur, est enim forma principium operis; per 'optimum' ratio cause formalis, forma enim complet et perficit; per 'appetibile' ratio causalitatis finalis, est enim forma ultimum in habentibus motum continuum, et ita finis vita. Ad rationem principalis questionis jam dissolute, dicendum quod 'esse prius' hoc est dupliciter; uno modo sub esse incompleto, originali, et in potentia, et hoc modo erat forma in potentia materie antequam educeretur in esse completo, et hoc modo f. 11 a 1. ponere formas latitantes in materia non est | inconveniens; alio modo dicitur 'esse prius' sub esse completo et actuali, et hoc modo non est forma in forma, sicut posuerunt quidam ponentes quod forme erant in anima sub esse actuali et completo ⟨sicut⟩ in materia, nobis tamen non apparebant set latebant, et nobis per comparationem agentis detegentis declarantur: cujusmodi latitudinem formarum ponentes in primo *libro* ab Aristotele improbantur. Ad annexum, dicendum 'quod est exemplar est forma'; ad quod, NOTANDUM quod forme triplex est comparatio; una est que est perficere et dare esse, et quantum ad hanc, exemplar non est forma; alia est que est principium operandi, et quantum ad hanc

29 forme . . . actuali] finem in anima actu *MS.*

exemplar est forma, quia principium est approximandi et cogendi ad opus: tertia est operatio forme que est principium cognoscendi, et quantum ad hanc est exemplar forma; per exemplar enim cognoscitur exemplatum, sicut per formam informatum. Per hoc ⟨solvuntur⟩ rationes in altero sensu procedentes.

Octavo QUERITUR de diffinitione efficientis, que est 'efficiens est unde est principium primum motus vel mutationis'. Videtur quod sit incompetens: quia competit alii a diffinito, scilicet nature: est enim natura principium motus, que divisa est in materiam et formam, et ita materia et forma sunt principium motus. AD IDEM: ultimum continui motus, propter quod est motus et quod acquiritur per motum debet dici illud unde est motus; forma est hujusmodi, ergo etc. CONTRA: motus duo habet, esse scilicet quod habet a motu, et essentiam quam habet a motore vel efficiente; set prius est essentia quam esse, ergo motor vel efficiens motus est primum principium ipsius motus. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod illud unde est motus dicitur quadrupliciter; uno modo tanquam sustinens motum, et sic materia; secundo modo tanquam terminans motum et complens, et sic forma; tertio modo tanquam motum producens et educens, et sic efficiens; .4. modo tanquam excitans ad motum, et sic finis. Et sic patet quod efficiens proprie, primo, et maxime, secundum veritatem est principium motus, cum aliquid producitur et essentiam assumat; et propter hoc efficienti appropriatissime hec diffinitio atribuitur. Per hoc solvuntur rationes.

Nono QUERITUR de descriptione finis, que est 'finis est causa omnis'. Sed contra: quidquid est causa cause est ⟨causa⟩ causati; ergo, cum alie cause sint cause finis, ut scribitur in *hoc secundo* quod 'finis est effectus aliarum causarum', ergo finis est causa sui: quod est inconveniens. AD IDEM: causarum non est causa alia, quia status est in quolibet genere cause, ut probatur in secundo *Methaphysice*; ergo trium causarum non erit causa finalis nec alia. CONTRA: illa causa cujus gratia et propter quam

8 unde] unum *MS.* 24 excitans] exitans *MS.* 26 aliquid] aliquo *MS.*

fiunt alie est causa causarum; finis est hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod esse causa causarum hoc est dupliciter; uno modo secundum intentionem, et sic finis est causa causarum, quia ab aliis causis intenditur, et eis tribuit necessitatem atque complementum; alio modo secundum productionem, et sic nulla est causa causarum, set in quolibet genere cause est ponere statum in aliqua prima, et hoc modo procedit ratio secunda. Et loquimur hic de causis in genere creatorum. Ad primam rationem, dicendum quod finis secundum eandem rationem et modum non est causa aliarum causarum et effectus, quia secundum generationem est effectus illarum, set secundum intentionem causa; et ita non est ibi circulatio in causando.

Decimo QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod 'nichil differt finem videri bonum et esse bonum'. Contrarium videtur in *Elenchis*, ubi dicitur quod 'differt apparere verum, et probabile, et esse, quia multa apparent esse vera et probabilia que non sunt', et item multa apparent esse bona que non sunt. Set CONTRA: scribitur in .5. *Methaphysice* quod 'nichil differt esse largum et videri largum', ergo a simili de bono erat arguendum. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in eodem differunt bonum et apparens bonum, non tamen in mo⟨ven⟩do, quia utrumque movet intellectum practicum et cum affectu, et sic intelligitur auctoritas, hic et in .5. *Methaphysice*; e contrario est de bono et vero, quia bonum et verum idem sunt in re, tamen in movendo differunt. Per hoc solvuntur rationes.

Undecimo QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod 'unius effectus vel causati sunt plures cause'. Videtur quod non: causa in singulari est ad cujus esse sequitur aliud, ergo cause in plurali erunt ad quarum esse sequuntur alia, et ita, si sint plures cause erunt plura causata, ergo etc. CONTRA: unumquodque prius est in fieri quam in esse, ⟨et hec⟩ diversa sunt; set diversorum diverse sunt cause, ut scribitur in primo *De Anima*, ergo unius causati plures erunt cause. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod unius causati esse plures causas hoc est dupliciter; uno modo in diversis generibus causarum, et sic non est incon-

veniens; secundo modo in eodem genere cause. Et hoc dupliciter; uno modo non secundum eandem rationem nec eque primo et principaliter, set prius et posterius, propinquius et remotius, et ⟨hoc⟩ modo non est inconveniens, ut elementa sunt materia carnis et ossis, deinde hec sunt materia corporis, corpus autem materia hominis; et ita in homine multiplex est materia secundum prius et posterius, propinquius et | remotius, similiter dicendum est de aliis f. 11 a 2. causis; alio modo possunt esse plures cause secundum eandem rationem, scilicet eque primo et principaliter et in eodem genere, et sic unius causati esse plures causas est inconveniens. Per hoc solvitur ratio.

Duodecimo QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod 'idem potest esse causa contrariorum'. Videtur quod non: scribitur fine *De Generatione* quod 'idem in quantum idem natum est semper idem facere', ergo etc. AD IDEM: dicit *in litera* quod 'nauta est causa contrariorum, quia per suam presentiam causa salutis et per absentiam causa periclitationis'; set videtur hoc esse falsum: absentia est privatio, privatio non-ens secundum se, ut scribitur in *primo*; set non-ens nullius est causa, ergo etc. AD IDEM: scribitur in *De Celo et Mundo* quod 'causatorum similium cause sunt similes'; set absentia et presentia privative sunt, ergo non erunt cause contrariorum, set privativorum: quod tamen dicit *in litera*. CONTRA: si oppositum in opposito, et propositum in proposito; set absentia et presentia opposita sunt, similiter salus et periclitatio opposita, set presentia causa salutis, ergo absentia causa periclitationis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod eadem causa secundum substantiam potest esse causa contrariorum, existens tamen sub diversis dispositionibus et conditionibus; non tamen eadem secundum eandem rationem potest esse causa contrariorum. Per hoc solvitur ratio prima. Ad secundam, dicendum quod duplex est privatio; quedam est que totum privat et nichil relinquit, et hec est non-ens, nec est causa alicujus; alia est que est privatio et contrarium, et aliquid relinquit, et talis potest esse causa alicujus: unde absentia relinquit substan-

11 est] esse *MS.*

tiam naute, non tamen secundum eandem dispositionem. Vel potest dici quod privatio non est omnino non-ens; set cum dicitur ⟨quod⟩ 'privatio est non-ens secundum se', hoc est intelligendum quod sibi debetur sua non-entitas, et non alicui alteri a se. Ad tertiam, dicendum quod presentia et absentia, quantum ad ⟨id⟩ ad quod sunt, privativa sunt, tamen quantum ad causas eorum, scilicet ad diversas contrarias dispositiones naute, contraria sunt: quare quantum ad hoc sunt cause suorum effectuum, ideo possunt esse cause contrariorum.

Circa quatuor modos cause capitales inquisitione completa, nunc de non-principalibus, set illis annexis, restat inquirendum. Est igitur QUESTIO prima de numero et sufficientia istorum octo modorum; cui questioni addimus quare .6. istorum modorum potius ad istos duos, qui sunt actualis et potentialis, quam ad aliquos alios reducuntur. SOLUTIO: ad hoc, disputatione cessante, verificando notandum quod in omni notitia sunt quatuor secundum que quatuor membra istos octo modos continentia sumuntur. Est enim in quantum causa substantia sua, a parte cujus sumitur hoc membrum, alia simplex, alia complexa; est enim in ipsa causa sua virtus, a parte cujus sumitur hoc membrum causarum: alia per se, alia per accidens. Est etiam in ipsa causa sua aptitudo vel appetibile sive inclinatio ad agendum, secundum quam sumitur hec divisio causarum, alia prior, alia posterior; est etiam in ipsa causa sua operatio, a parte cujus sumitur hec ⟨divisio⟩ causarum, alia actualis, alia potentialis. Per hoc solvitur annexum: quia cum finaliter substantia cause, virtus et applicatio ad operationem ordinentur, ideo ad modos secundum operationem sumptos reducuntur. Si autem hic fiat objectio de istis modis cause qui sunt—causarum alia universalis, alia particularis, alia propinqua, alia remota, de quibus hic non fecimus mentionem—dicendum quod sub hoc membro 'prius et posterius' reponuntur: unde, etsi nomine diversa

26–7 operatio] comparatio *MS*. 32 alia] *iter. MS*.

sunt, idem tamen realiter per ista designatur. Similiter de aliis modis, si qui sunt istis octo similes, est dicendum.

Secundo QUERITUR utrum omnes isti modi possint esse annexi materie. Et videtur quod non: proprie est materie pati et est id quod est ens in potentia, ut patet in *primo libro*; ergo ipsa non est actus vel cause actualis. ITEM: scribitur .7. *Methaphysice* quod materia est principium individuationis, et ita non est causa universalis vel prior, set singularis vel posterior. ITEM: secundum philosophos materia est simplex, non ergo complexa causa. ITEM: scribitur in *primo* quod 'materia est primum subjectum unicuique ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens', et ita materia est causa non per accidens, set per se. CONTRA: scribitur *in litera* quod modi causarum multi sunt, et hii fiunt minores, et hoc est quia ad .4. capitales reducuntur. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod omnes octo modi annexi materie competunt. Ad quod notandum quod duplex est materia; quedam est que est materia tantum, et hec forme substantiali correspondet, et hec est ens solum in potentia; alia est que est materia et subjectum forme accidentali correspondens, et hec est ens actu, et ita actus et forma materie sub diversis rationibus competunt. ITEM: materia sub debitis dispositionibus parata ad receptionem forme est causa per se, set sub contrariis est causa per accidens. Vel sic: materia sub dispositionibus aliquid conferentibus ⟨est⟩ causa per se, set sub dispositionibus nichil conferentibus ad formam causa per accidens. ITEM: materia in eo quod potentia simplex est, set per aggregationem dispositionum ad formam inclinantium dicitur esse composita | vel complexa. ITEM: materia quedam est prior, universalis, vel remotior, ut elementa ipsius hominis; f. 11 b 1.
quedam est posterior, particularis, et propinqua, ut caro et os. Per hoc solvuntur objecta.

Tertio QUERITUR utrum competant forme. Videtur quod non: scribitur in *De Anima*, quod 'forma idem est quod actus'; ergo non est potentia nec potentialis causa. ITEM: scribitur in libro *Sex Principiorum* quod 'forma est ⟨com-

2 est] non *MS.* 34 competant] competat *MS.*

positioni contingens)', non ergo composita vel complexa. ITEM: scribitur in primo *Physicorum* hujus quod 'forma est principium per se'; non ergo per accidens. ITEM: prius scriptum est in *hoc secundo* quod 'forma est ultimum in habentibus motum continuum'; non ergo est causa prima vel prior. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod formarum quedam sunt priores, universales, et remotiores, ut forme elementorum; alie posteriores, particulares, et propinque, ut forme mixtorum; et istarum quedam plus, quedam minus; unde in qualibet forma completiva est forma particularis et ultimo adveniens. ITEM: forma per se, forma substantialis, et per accidens. ITEM: forma accidentaliter inherens et perficiens actus est, set ipsa non totaliter educta de potentia materie est ens in potentia. ITEM: forma secundum se invariabilis et simplex, tamen ipsa in quantum materie co-unitur dicitur esse composita et variabilis, non composita compositione ex his, set compositione hac. Per hoc solvuntur rationes altero sensu distinctionum procedentes.

Quarto QUERITUR ⟨utrum⟩ isti modi competant efficienti. Videtur quod non: scribitur *in litera* quod 'efficiens est primum principium motus et quietis', non ergo posterius. ITEM: quod est primum principium est per se; efficiens est hujusmodi, non ergo per accidens. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod efficientium quedam priora, universalia, et remota; quedam posteriora, particularia, et propinqua; unde tria sunt agentia secundum prius et posterius se habentia, scilicet primum, causans, natura; et horum posterius semper supponit primum; similiter sol generat hominem tanquam universale agens et remotum, homo autem tanquam particulare et proximum. ITEM: efficientium, quoddam per se ut edificator domus, quoddam per accidens ut album ⟨quod⟩ est efficiens domus per accidens. ITEM: quoddam est efficiens in potentia, scilicet quod non operatur actu ut dormiens; quoddam actu ut illud quod actualiter operatur. ITEM: quoddam simplex ut Poliacus; quoddam

8 posteriores] posteriore *MS.* 17 hiis . . hac] huis . . huic *MS.*
19 procedentes] procedentens *MS.*

compositum vel incomplexum ut Poliacus statuam faciens. Ad .2. rationes, dicendum quod cum dicitur 'efficiens est primum principium', hoc est intelligendum in genere illo, ut agens universale in genere universalium et particulare particularium; vel dicendum quod diffinitio datur de efficiente universali et primo. Per hoc solvitur secunda.

Quinto QUERITUR utrum competant fini. Videtur quod non: ultimum et postremum idem; set finis est ultimum, ergo postremum, non ergo prior. ITEM: causa nobiliorem conditionem retinens est causa per se et non per accidens; set finis est hujusmodi, quia est causa causarum, ergo etc. ITEM: forma et finis coincidunt; set forma simplex, ergo et finis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de fine est loqui multipliciter; uno modo per comparationem ad ea que sunt ad finem, et sic fini non competit esse prius, set posterius; alio modo est loqui de finibus adinvicem comparatis, et sic unus prior, reliquus posterior. Per hoc solvitur ratio prima. ITEM: quidam est finis principaliter intentus, et hic est finis per se, de quo procedit ratio secunda; alius est finis non principaliter intentus, et hic est finis per accidens. ITEM: finis respectu eorum que sunt ad finem, ut ipsa sunt in fieri, in potentia est; set ut sunt in facto esse est in actu. ITEM: finis de natura propria simplex est, compositus tamen dicitur secundum quod magis et minus operationes concurrunt. Vel dicendum quod secundum ⟨quod⟩ multi fines concomitantur finem principaliter intentum dicitur finis compositus. Per hoc solvitur ratio tertia.

Sexto QUERITUR de hoc quod innuit *in litera* quod 'cause universalis non est effectus particularis'. Et videtur quod immo: sol generat hominem, qui est effectus particularis, tamen sol causa universalis. AD IDEM: omnes actus et operationes circa singularia, ut scribitur in primo *Methaphysice*; set quedam sunt cause universales, operationes ergo ipsarum erunt effectus particulares. CONTRA: omnis causa conformis est suo causato; set effectus universalis conformis est cause universali et e contrario, et non effectus particularis, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc notandum primo

28 de] utrum de *MS*.

quod duplex est effectus; quidam est effectus ⟨intentus⟩, scilicet terminans intentionem, et hic est universalis ut homo, alius est prosequtus, scilicet terminans operationem, et hic est singularis ut Sor. ITEM: de causa universali distinguo, que dupliciter potest considerari; uno modo secundum se, et sic est causa effectus universalis; alio modo secundum approximationem ad agendum, et sic potest esse causa effectus particularis: unde causa universalis primo et principaliter est causa effectus universalis, ex consequenti autem effectus particularis. Per hoc solvitur ratio prima; quia procedit de causa universali que est sol secundum approximationem ad agendum, et etiam ex consequenti. Ad secundam similiter patet solutio: quia procedit de effectu ⟨qui est⟩ terminans operationem. Set CONTRA: potest obici contra predicta, de hoc quod dicitur quod causa universalis est causa effectus universalis tanquam aliquid ejus quod intenditur, causa autem effectus singularis tanquam illud quod prosequitur et operatur, ut natura que intendit generare universale, scilicet hominem, et generat singulare, |
f. 11 b 2. scilicet Sortem. Ex quo sequitur quod nature in sui operatione accidit aliud quam ab intento: et intendit universale et generat singulare: ergo fit hec generatio, scilicet singularis, cum non sit ⟨finis⟩ intentus, a casu vel a fortuna. Ad quod dicendum quod singulare et universale idem sunt in essentia; quia universale essentia est particularis sive singularis, et ita, intento universali, ex consequenti intenditur singulare, et generato singulari, ex consequenti generatur universale: unde natura idem, sub diversis tamen rationibus, intendit et operatur.

Causarum per se inquisitione completa, ad perscrutationem causarum per accidens que sunt fortuna et casus accedamus. Est igitur prima QUESTIO utrum casus et fortuna sint. Et videtur quod non: omne quod est, aut est a causa per se, aut a causa per accidens; hec autem non sunt a causa per se, quia ista sunt principia inordinationis, ut

16 aliquid] ad *MS.* 17 singularis] universalis *MS.* 20 quod] et *MS.*

scribitur *in litera*, nec a causa per accidens, quia illius cause esset causa alia; et hec aut per se—set hoc esset inconveniens, quia hec non sunt ordinata—aut esset a causa per accidens, set hoc modo esset abire in infinitum. AD IDEM: non sunt substantia, quia substantia est idem quod vere, set hec non sunt hujusmodi, ut patet de se; nec sunt accidens, quia accidens habet causam determinatam in substantia; set ista a causa indeterminata sunt, ergo non sunt accidens nec substantia, ut visum est, ergo non sunt. CONTRA: quod est causa eventus aliquorum est ens; casus et fortuna sunt hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod eorum que sunt, quedam sunt entia ut substantie complete, quedam entis. Et hec multipliciter; quedam sunt entis sicut habitus, alia sicut privationes et deffectus; et hoc modo sunt entia casus et fortuna: unde esse completum non habent, set diminutum, quia ex inordinatione et preter intentionem accidunt. Per hoc solvitur ratio procedens de ente intento: ejus est ⟨esse⟩ ordinatum; set casus et fortuna sunt entia non ordinata et ita non intenta a causa per se. Ad secundum, dicendum quod hec sunt accidentia, set duplex est accidens; quoddam est accidens per se, et de hoc est minor falsa; aliud est accidens per accidens, et hoc modo sunt casus et fortuna. Sed propter majorem evidentiam predictorum

Secundo QUERITUR utrum casus et fortuna sint entia secundum positionem aut solum secundum privationem. Quod secundum positionem videtur: omne illud quo posito ponitur aliquid aliud est ens secundum positionem, quia ad esse privationis nichil sequitur; set casus et fortuna sunt hujusmodi, quia cause sunt multorum eventuum, ergo etc. AD IDEM: privatio reducitur ad materiam, ut patet in primo *hujus*, ergo, si casus et fortuna essent ens secundum privationem, vel privationes, ad materiam reducerentur, ergo materia esset causa casualis vel fortuita: quod est inconveniens. AD IDEM: scribitur .2. *Methaphysice* quod in fundamento nature, id est, in materia nichil est distinctum; ergo ipsa materia est principium confusionis, indistinctionis, et inordinationis; ergo casus et fortuna sunt principium inordinationis sicut

2 aut] autem *MS.*

materia, si essent privationes, ad materiam cum reducerentur; quod est inconveniens. CONTRA: intentum et non-intentum opponuntur sicut privatio et habitus; set natura vel propositum, casus vel fortuna, opponuntur sicut intentum et non-intentum; set natura vel propositum est quidam habitus, ergo hec erunt privationes. AD IDEM: natura est causa ordinata et finita, fortuna autem inordinata et infinita; set hec opponuntur sicut privatio et habitus, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod fortuna et casus non sunt nature vel positiones, set privationes vel defectus istorum; unde fortuna non est natura vel positio, set aliquid istorum, non sicut effectus, set sicut deffectus. Unde fortuna vel casus est inordinatio nature, est enim illud quod preter intentionem accidit. Ad primam rationem, dicendum quod aliquid sequitur ad aliud dupliciter; uno modo tanquam intentum et prosecutum, et sic, tam causatum positum quam causa ponens, est natura et positio; alio modo non tanquam intentum, set solum prosequtum, et tale non est positum vel natura, set deffectus et privatio, sicut est fortuna vel casus. Unde NOTA quod in causa secundum casum vel fortunam duo est reperire; unum est intentum, et quantum ad hoc privationes sunt vel deffectus; aliud est prosequtum, et quantum ad hoc positiones sunt. Ad secundam rationem, dicendum quod duplex est privatio; quedam est que est inordinationis principium, et talis non reducitur ad materiam, set est fortuna vel casus; alia est que est contraria forme, et hec est ad materiam reducibilis. Ad tertiam, dicendum quod multiplex est inordinatio; quedam est per recessum ab omni bonitate et ordinatione, et sic nichil; secundo modo a privatione distinctionis et ordinationis, et sic materia; tertio modo per recessum ab intentione vel proposito, et talis competit casui vel fortune.

Tertio QUERITUR, utrum casus et fortuna sint cause per se vel per accidens. Quod non per accidens set per se videtur: omnis causa per accidens per posterius producit effectum vel causatum causa per se; set casus et fortuna

4 propositum] opositum *MS.* 22 prosequtum] prosequtio *MS.*
36 causa] cause *MS.*

nunquam producunt effectus nature que est causa per se, ergo non sunt cause per accidens, ergo per se. Major patet, edificator domum per prius producit, album autem in ipso edificato per accidens et posterius; minor patet de se. AD IDEM: omnis causa per accidens eundem effectum pro- f. 12 a 1. ducit cum sua | causa per se; set fortuna et casus non producunt eundem effectum cum natura, que est causa per se, ergo etc. Major patet quia idem producit edificator et album in ipso, quod est causa per accidens. CONTRA: omnis per se |causa necessario producit effectum, ordinans est principium, et agens est per intentionem; fortuna et casus non sunt hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: que sunt per se sunt finita; fortuna et casus non sunt finita, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod hec sunt cause per accidens. Propter quod diligenter NOTANDUM quod ⟨sunt⟩ .4. genera causarum in universali; quedam est intendens et intentum prosequens, et hec est causa per se, ut natura et intellectus; secunda est causa que nec intendit nec prosequitur aliquid, ut album, musicum, et hujusmodi in edificatione, et hec est causa per accidens, quia accidit et concomitatur causam per se, unde album in eo quod hujusmodi ⟨non⟩ intendit domum nec prosequitur; tertia est causa que non intendit effectum aliquem, set prosequitur tantum, et hujusmodi est casus et fortuna — hec etiam est causa per accidens; quarta est causa que nunquam prosequitur illud quod intendit, et hec est contraria cause predicte, scilicet casui et fortune, et hec est vanum et frustra, ut si aliquis ambulet ut sol defficiat, nunquam hoc prosequitur, et est item hec causa per accidens. Est igitur causa per se uno modo, tribus modis autem per accidens; et hoc est quia bonum et ordinatum uno modo, malum autem et inordinatum pluribus: unde recte ire uno modo contingit, set deviare pluribus, unde a puncto ad punctum unam solam lineam rectam ducere contingit, set plures curvas. Per hoc solvuntur rationes de uno modo cause per accidens procedentes, et non de aliis duobus.

Quarto QUERITUR utrum motus elementorum sit a causa per accidens, scilicet a casu, sicut quidam posuerunt, ut *in*

3 edificato] edificare *MS.*

litera recitatur. Et videtur quod⟨sic⟩: omne quod advenit rei post sui complementum in esse est rei contingens vel per accidens; motus elementorum est hujusmodi, ergo etc. AD IDEM: motus naturalis qui est a causa naturali et per se fit a principio intra; motus elementorum non est hujusmodi, ergo etc. Major patet per homines, animalia, et in plantis; minor etiam apparet quia motus elementorum est a motu primi mobilis influente, vel a natura loci attrahente, que extra ⟨sunt⟩; cum igitur non sit a natura, erit a casu vel a fortuna, que sunt cause per accidens. CONTRA: quecunque seipsis ad loca propria moventur nullo pulsante, moventur a causa per se et non a casu vel fortuna; elementa sunt hujusmodi, ut patet ad sensum, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod motus elementorum cause vel principia quedam sunt extra, et hec sunt tria; primum est motus celestis corporis quod est regula aliorum motuum, ut scribitur in *capitulo de tempore*; secundum est ordo unius et continue generationis, ut naturalium; tertium est natura loci attrahentis; cadit enim natura per quam locus locatum trahit, cum absens fuerit et per quam, cum locatum in loco presens fuerit, conservatur. Secundo modo sunt principia motus elementorum intra, et hec sunt qualitates grave, leve. Tertio modo sunt hujusmodi motus partim intra, partim extra, et hec sunt hujusmodi qualitates calidum et frigidum, quod est generans grave; in generando sunt extra, in generato esse intra sunt. Et ita clarum est quod elementa moventur natura, et non casu vel fortuna. Ad primam rationem, dicendum quod motus inest eis post sui completum esse, non post sui conservationem, set ad suam conservationem ipsis iste motus inest. Secunda solvitur per predicta. Vel dicendum quod motus a principio extra dupliciter fit; uno modo contra inclinationem mobilis, et talis est accidentalis, a casu vel fortuna; alio modo sequens inclinationem mobilis naturalem, et hic est naturalis, et talis est motus elementorum.

Quinto QUERITUR utrum casus et fortuna ⟨possint⟩ esse in

6 per homines] *iter. MS.* animalia et] aliarum *MS.* 11 moventur[2]] movetur *MS.*

celestibus motibus, ut quidam possuerunt. Et videtur quod sic: in omnibus possibilibus impediri possibilis est casus et fortuna; set motus celestium possunt impediri, quia e contra moventur orbes inferiores orbi primo, ergo etc. AD IDEM: que fiunt a causa infinita fiunt a fortuna; motus celestium fiunt a causa infinita, quia a prima causa que est infinite virtutis, ergo etc. Major patet quia scribitur *in litera* quod fortuna est causa infinita. CONTRA: nullus motus factus a principio totius ordinationis fit a casu vel a fortuna; motus celestium est hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod motus celestium a parte motoris separati, qui est prima causa vel intelligentia, est voluntarius et a voluntate, a parte autem mobilis se ad talem motum inclinantis naturalis est et a natura, et ita nec a casu nec a fortuna; potest sustineri 'et a fortuna' per hoc quod dicitur postea quod fortuna est eadem felicitati, vel proprie de qua inferius perscrutabitur, et ita motus celi a fortuna, id est, a felicitate que deus est. Ad primum argumentum, dicendum quod duplex est contrarietas; quedam est terminorum diversorum, et hec impedit; alia est ad contrarias mundi distantias, et talis est in celestibus, nec impedit, non est causa inordinationis. Ad secundum, dicendum quod quedam est causa infinita per incertitudinem et interminationem, et sic fortuna et casus; alia est causa infinita per celsitudinem potentie infinite, et sic causa prima, que movet celestia.

Sexto QUERITUR, gratia hujus quod dicit quod eorum que sunt, quedam fiunt sicut semper et ex necessitate, ut ea que fiunt a natura, alia sicut frequenter vel contingenter, ut ea que fiunt ab intellectu, utrum eorum que sunt, quedam sint contingentia, quedam necessaria. Videtur quod ⟨non⟩: si hec distinctio vel diversitas esset in rebus, hoc esset ex parte rerum vel ex parte conditoris; set hec non est ex parte rerum, quia res, quantum est de se vel de natura propria, esse non habent, set non-esse; ergo res ex parte sui non habent necessitatem vel contingentiam, quia hec sunt conditiones entis. ITEM: nec ex parte conditoris, quia, ut scribitur in *De Causis*, conditor vel creator existit in omni-

5 infinita] finita *MS*. 16 fortuna] felicitas *MS*.

bus rebus secundum eandem dispositionem; ergo a parte f. 12 a 2. ipsius non erit hec distinctio rerum: nec a parte ipsarum; ergo nullo modo. AD IDEM: quecunque fiunt | ab agente nobilissimo nobiliori modo producuntur; set omnia fiunt ab agente primo quod est nobilissimum; ergo nobiliori modo producuntur; set nobilior modus est esse sub necessitate quàm sub contingentia, ergo omnia sub necessitate producuntur: non ergo quedam necessaria, quedam contingentia. AD IDEM: quecunque fiunt a principio totius necessitatis et ordinationis necessaria sunt; omnia sunt hujusmodi, quia a primo, ergo etc. CONTRA: scribitur in fine *De Generatione* quod propter longe distare a principio primo accidit corruptio vel corruptibilitas in rebus; ergo ab oppositis propter prope stare accidit incorruptibilitas in rebus; set rerum quedam sunt prope principio ut celestia, quedam longe ut inferiora; ergo rerum quedam corruptibiles vel contingentes, quedam incorruptibiles vel necessarie. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod necessitas et contingentia in rebus accidit dupliciter; uno modo in primo exitu quantum ad creatorem. Propter quod NOTANDUM quod de rebus per relationem vel comparationem ad creatorem est loqui multipliciter. Uno modo quantum ad ejus intentionem, et hoc modo quedam sunt necessarie, quedam contingentes: sic enim primum in rerum productione intendit ut in tanta rerum multitudine et varietate sua potentia manifestetur; in hoc enim plus manifestatur primi sapientia et bonitas quam si solum necessaria vel solum contingentia produxisset. Secundo modo quantum ad ordinem quem habent in elevatione et approximatione ad ipsum creantem, et sic iterum quedam necessarie, scilicet propinquiores ei, ut celestia, quedam contingentes, scilicet remotiores, ut inferiora. NOTA tamen quod, etsi primum ubique ⟨sit⟩ essentialiter, in celestibus tamen sua potentia plus manifestatur, et maxime in parte celi orientali vel dextra. Tertio modo quantum ad receptionem influentie ipsarum ab ipso creante, et sic iterum quedam necessarie, scilicet

4 producuntur] producunt *MS.* 6 nobilior] nobilius *MS.* 29 quem] quam *MS.* 33 tamen] cum *MS.*

que propinquiores sunt et plus recipiunt, quedam contingentes, scilicet que remotiores et minus recipiunt. .4. modo est loqui de rebus per relationem ad primum creantem quantum ad dispositionem quam in eo producunt. .5. modo quantum ad relationem ad id ex quo fiunt, quod est nichil; et istis .2. modis, scilicet quantum ad illam dispositionem et quantum ad hoc quod ex nichilo fiunt, non contingit in eis diversitatem contingentie et necessitatis assignare, set quantum ad hec omnia contingentia sunt, ut scilicet quadam bonitate divina in esse conserventur. Secundo modo est necessitas et contingentia in rebus assignata in secundo exitu, et quantum ad hunc dicendum quod ea que fiunt a natura fiunt sicut semper et necessitate, ea vero que fiunt ab intellectu sunt sicut frequenter et etiam contingentia, ut consequenter videbitur. Ad primam rationem, dicendum quod de non-esse est loqui dupliciter; uno modo prout non-esse est terminus mutationis que fit ab esse in non-esse, et hoc modo non-esse nichil, nec propter ipsum in rebus potest esse diversitas aliqua; alio modo est loqui de non-esse in quantum ipsum non-esse mutatum est in esse, et hoc modo non-esse potest esse causa hujusmodi diversitatis, scilicet necessitatis et contingentie, et hoc propter primi intentionem, influentiam, et ipsius ordinationem. ITEM: ad secundam partem rationis dicendum quod etsi primum existat in omnibus rebus secundum eandem dispositionem, non tamen res omnes existunt in eo secundum eandem dispositionem, et sic adhuc restat et potest hujusmodi diversitas in rebus accidere. Set potest obici contra hoc, dicendo quod ex hoc arguitur quod hec diversitas sit omnino ex parte rerum. Ad quod dicendum quod primum est in omnibus secundum eandem dispositionem distinguentem et ordinantem, set non est in omnibus secundum eandem dispositionem distinctam et ordinatam; et hoc est quia distinctio et ordo non est in primo a rebus, set potius e contrario. Per hoc solvitur ratio secunda, quia nobiliori modo quantum ad ipsam naturam et sui potentie manifestativum producit res in tali diversitate et ut sunt quam alio modo. Tertia solvitur per predicta.

4 producunt] producuntur *MS*. 9 ut] et *MS*. 28 dicendo] dicendum *MS*.

Septimo QUERITUR utrum ea que fiunt a natura fiant ex necessitate et semper, sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: nichil quod fit a causa potente impediri vel ab agente fit ex necessitate; set que fiunt a natura sunt hujusmodi, quia monstra et peccata in natura sepe accidunt, ergo etc. AD IDEM: quod fit a principio per indeterminationem se habente non fit de necessitate; set que fiunt a natura sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet quia que fiunt ex necessitate fiunt a causa determinata; minor patet, quia natura agit ex suppositione unius que est confusa, indistincta, et ad omnes formas indeterminata, ut patet secundo *Methaphysice*. CONTRA: omne quod fit ab agente quod agit ex principiis perpetuis et necessariis fit de necessitate; set ea que fiunt a natura sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet de se; minor etiam apparet in primo *hujus*, ubi dicitur quod principia nature oportet manere. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod duplex est necessitas; quedam absoluta, et hac non agit natura, set primum; alia est conditionata, et hac necessitate agit natura, quia principiis naturalibus concurrentibus nature est agere, unde natura principiis suis existentibus nunquam ⟨non⟩ est causa. Ad primam rationem, ⟨dicendum⟩ quod fieri ab agente potente impediri non prohibet fieri de necessitate conditionata, set solum de necessitate absoluta; unde 'necessitas' 'sub conditione' simul possunt stare. Ad secundam, dicendum quod de materia est loqui dupliciter; uno modo quantum ad id quod est, et hoc modo secundum indeterminationem se habet ad formas fiendas; alio modo secundum quod est existens sub contrario, et sic non se habet per indeterminationem ad omnes formas, set solum ad formam sibi contrariam determinatur: unde scribitur in
f. 12 b 1. primo *hujus* quod quodlibet non fit ex quolibet, | set contrarium ex contrario, ut materia existens sub calido, ipso calido remisso et recepto frigido dominante, abicitur de recipiente calidum et imprimitur frigidum.

3 potente] patiente *MS.* 11 Methaphysice] indeterminate *MS.* 12 quod[2]] quedam *MS.* 18 conditionata] condita *MS.* 20 existentibus] existibus *MS.* 27 indeterminationem] inde nem *MS.* 28 quod] que *MS.* 33 recepto] re *MS.*

Octavo QUERITUR utrum que fiunt ab intellectu fiant sicut frequenter vel contingenter, sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: que fiunt ab intellectu nobiliori modo fiunt; set fieri nobiliori modo fiunt de necessitate. Major ⟨patet⟩ quia a causa nobiliori nobilior et nobiliori modo procedit effectus; set intellectus nobilior natura, quia intellectus est finis, set finis nobilior eis que sunt ad finem, ergo etc. AD IDEM: omne quod fit ab agente regulato et rectificato per inspitionem ad exemplar inerroneum fit de necessitate; set que fiunt ab intellectu sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet quia agens rectum et appropriatum in sui operatione necessario producit effectum; minor patet quia intellectus est agens per exemplar: per hoc differt a natura que est non-cognoscens agens. CONTRA: que est comparatio agentium, et ordo talis est effectuum; set agens increatum est primum omnium, post ipsum natura, et deinde ars, ratio, intellectus, vel propositum: ergo operatio primi prior et nobilior erit, operatio nature minus, operatio autem intellectus adhuc minus nobilis; set effectus primi necessarius est necessitate aliqua; opera autem nature, quia a nobilitate horum deficiunt ⟨minus⟩ necessaria; similiter comparatione effectus primi agentis immediate consequentur necessitate non tam nobili, set conditionata, effectus intellectus, qui utraque opera sequuntur et minus nobiles sunt, nec necessaria erunt, set solum contingentia et sicut frequenter. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de intellectu tripliciter est loqui; uno modo quantum ad sui indeterminationem et libertatem, et hoc modo fiunt ab ipso contingentia ad utrumlibet que indifferenter se habent ad utrumque, scilicet ad esse et non-esse; secundo modo quantum ad ejus determinationem, ut est intendens et intentum prosequens, et hoc modo fiunt ab eo contingentia innata que fiunt frequenter; tertio modo est loqui de ipso intellectu secundum quod errat, scilicet ut est prosequens ⟨et⟩ non intendens, et sic fiunt ab eo contingentia raro. Et NOTA quod competenter dicit *in litera*, dicendo quod ea que fiunt frequenter fiunt ab intellectu, de hiis que

1 fiant] finit *MS*. 21 comparatione] comparatio *MS*. 32 eo] ea *MS*.

fiunt ad utrumlibet vel raro non faciendo mentionem; et hoc est quia hic loquitur de intellectu ut est causa determinata—per hoc excluduntur contingentia ad utrumlibet—et etiam ut est causa per se intendens et prosequens—per hoc excluduntur contingentia raro que a fortuna sunt—, unde esse quod fit frequenter tanquam a causa per se fit ab intellectu, et non convertitur. NOTA etiam quod ea que fiunt a natura, de necessitate dicuntur fieri quia fiunt ex materia existente sub contrario que determinate se habet ad formam sibi contrariam; unde si materia existit sub calido et illud remittatur et defficiat, suo contrario dominante et multum excellente, necessario in eadem materia frigidum imprimetur, abjecto calido, et etiam e contrario. Set sic non est in artibus, quia in eis non sunt hujusmodi dispositiones: unde una forma artificialis non se habet determinate ad aliam, ut forma anuli non se habet determinate ad formam ciphi nec e contrario, set equaliter et indeterminate ad omnes; et hoc est quia hujusmodi non sunt essentie vel veritates reales, set solum sunt quedam transformationes que nichil realiter addunt supra materiam: ut, si ex auro fiat anulus vel ciphus, ejus substantia, quiditas, vel essentia non mutatur, nec illi aliquid novum realiter co-unitur, nec etiam una forma artificialis contrariatur alteri, cum sint formationes quedam quibus in relatione contrarium, ut scribitur in *De Celo et Mundo*; et propter hoc, si fiant artificialia, dicuntur fieri sicut frequenter, et non ex necessitate. Ad primam rationem, dicendum quod si intellectus secundum substantiam ita nobilior sit, non tamen secundum potentiam et operationem. Vel dicendum quod intellectus in hoc quod producit frequenter nobilior est, etsi produceret ex necessitate; et hoc est quia non est coartatum nec limitatum, set sue libertate nature potest quantum vult producere vel non producere: sic autem non est natura, set necessario ad alterum coartatur et limitatur, scilicet ad hoc quod producit principiis concurrentibus. Ad secundam, dicendum quod duplex est exemplar: quoddam est quod a rebus

9 que] et *MS.* habet] habenta *MS.* 17 ciphi] cifi *MS.* 21 ciphus] cifus *MS.* 32 sue libertate nature] sui liberatione *MS.*

trahit originem, scilicet transformatum ab ipsis, et hoc est exemplar artificis creati, et tale potest in errorem incidere; aliud est non a rebus causatum nec transformatum, set potius causa rerum et transformans, et hoc est exemplar conditoris. Vel dicendum ad formam argumenti quod non dicitur intellectus producere non de necessitate quia effectum non producat simile exemplari, set quia non est limitatus ad hoc quod producat talem formam in talem materiam. Vel dicendum quod intellectus, prout per exemplar rectificatur et regulatur, non potest incidere in errorem; potest tamen incidere quando non respicit ad exemplar, unde multa intellectui accidunt preter intentionem.

Nono QUERITUR utrum casus et fortuna sint cause in minoribus, sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: nulla causa universalis que in pluribus reperitur dicitur esse causa in minoribus; set casus et fortuna sunt hujusmodi, quia in omnibus inferioribus reperiuntur, ergo etc. AD IDEM: que fiunt in minoribus sive raro fiunt de necessitate, ut patet de eclipsi solis et lune; set que fiunt a casu et fortuna nunquam fiunt de necessitate, ergo etc. CONTRA: | casus et fortuna f. 12 b 2. ⟨que⟩ sunt cause defficientes ab intellectu et natura per inordinationem istorum eveniunt; set ⟨que⟩ fiunt a natura et intellectu fiunt semper vel frequenter, ergo que fient ab istis erunt raro vel in minoribus. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod ea que fiunt a casu vel fortuna .4. de causis dicuntur fieri raro vel in minoribus; quarum prima est quod fiunt per indeterminationem; secunda quia per inordinationem; tertia quia preter intentionem; quarta quia preter necessitatem. Ad primam rationem, dicendum quod non dicuntur hec fieri in minoribus quia in multis non reperiantur nec multotiens accidant, set propter causas predictas. Ad secundam, dicendum quod duplex est raritas; quedam est cause, et sic que sunt a fortuna et casu fiunt raro propter causas predictas; alia est raritas temporis, et hoc modo fiunt raro multa eorum ex quibus fiunt demutationes, ut eclipsis solis, defectus lune; et hujusmodi semper sunt in causa, raro autem in esse; fortuita autem et casualia e contrario.

1 trahit] trahunt *MS.*

Decimo QUERITUR utrum casus et fortuna fiant ab agente propter aliquid. Et videtur quod non: omne agens propter aliquid agit propter finem; set hec, scilicet fortuna et casus, non agunt propter finem, quia preter intentionem, ut scribitur *in litera*, ergo etc. AD IDEM: casus et fortuna non fiunt a natura nec ab intellectu, ergo non fiunt ab agente propter aliquid, quia non sunt plura agentia in genere causarum. Et ⟨quod⟩ non fiant ab intellectu videtur: quia que ab intellectu fiunt ex cogitante eveniunt, quia intellectus jubet retrahere et prosequi; set casus et fortuna ex non-cogitante eveniunt, ergo etc. Nec etiam a natura: quia in natura simile fit ex simili, non autem in casualibus et fortuitis, ergo etc. CONTRA: scribitur in *hoc secundo* quod omnis per accidens ad per se reducitur, et etiam privatio ad habitum; set casus et fortuna privationes et per accidens sunt respectu nature et intellectus, ergo ad ista reducentur; set ista sunt agentia propter aliquid, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in agente propter aliquid duo sunt; unum est intentio operantis, et quantum ad hoc non sunt casus et fortuna ab illo; secundum est possibilitas impediendi, et quantum ad hoc fiunt casus et fortuna ab agente propter aliquid. Per hoc solvuntur rationes.

Undecimo QUERITUR utrum fortuna sit ab agente secundum propositum. Videtur quod non: nulla causa preter intentionem est in hiis in quibus est ratio causalitatis et intentionis; set fortuna est causa preter intentionem, ergo fortuna non erit in hiis in quibus est ratio causalitatis et intentionis; set ratio causalitatis et intentionis est in hiis que sunt secundum propositum; ergo fortuna non erit ab agente secundum propositum. CONTRA: illa fiunt secundum propositum ab agente, que fiunt ab agente et ad propositum; set fortuna est hujusmodi, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in agente secundum propositum tria sunt; primum est substantia proponentis, secundum est ratio propositi, tertium est intentio proponentis. Dico igitur quod quantum ad primum, scilicet quantum ad sub-

8 fiant] fiat *MS.*

stantiam proponentis, que fiunt a fortuna fiunt ab agente secundum propositum, non autem quantum ad duo ultima. Per hoc solvitur contraria ratio. Per hec igitur manifestatur fortune descriptio, que est: 'fortuna est causa secundum accidens in hiis que ⟨in⟩ minoribus sunt, secundum propositum eorum que propter hec sunt.'

QUERITUR hic primo utrum fortuna sit causa infinita, sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: infinitum non est primum nec ultimum, quia non ibi ordo; set in fortuna est primum et ultimum, quia ibi est proximum et remotum, ut statim videbitur, ergo etc. AD IDEM: bonum et finis idem, ut patet in .5. *Methaphysice*; set in fortuna est bonum, ut patet *in litera*, ergo ibi erit finis, non ergo infinita. CONTRA: omnis causa prosequens quod non intendit est causa indeterminata et infinita; fortuna est hujusmodi, ergo etc. QUOD CONCEDO. Propter quod notandum quod fortuna multiplici de causa dicitur esse infinita; una est causa propter multitudinem effectuum infinitorum que a fortuna eveniunt; secunda causa propter sui incertitudinem; tertia propter ejus inordinationem ad effectum, quia effectus non est causa per se, set per accidens et deffectum. Ad primam rationem, dicendum quod de proximo et remoto in fortuna dupliciter est loqui; uno modo per comparationem ad subjectum recipiens effectum fortune, et sic in fortuna est ponere proximum et remotum; alio modo per comparationem ad ipsam fortunam, et hoc modo in ea non est ponere proximum et remotum, ut patet si lapis sursum positus in sui descensu ledat aliquem. Considerando istum casum in se, non erat ibi prius vel posterius nec determinatio vel aliqua causa ad hoc ut talem effectum, scilicet lesionem, efficeret tamen quantum ad ipsam lesionem effectam, ibi est prius vel remotius vel posterius vel propinquius assignari. Unde NOTA quod multiplex est infinitum; quoddam est infinitum extensione, et tale non est nec habet in se pro⟨p⟩inquius et remotius; aliud est infinitum ratione incertitudinis et inordinationis, sicut est fortuna, et tali infinito repugnat ordo.

Secundo QUERITUR cujus considerationis sit ipsum infinitum. Quod Methaphysice videtur: scribitur *in litera* quod infinitum principium et causam non habet et, si est, principium est; set principium quod est causa prima est Methaphysice considerationis, ergo etc. AD IDEM: scribitur *in litera* quod extra infinitum nichil est; si sic, set est gubernans et movens omnia; set quod sic est ⟨est⟩ methaphysice considerationis, scilicet causa prima; ergo etc. QUOD Mathematice videtur: scribitur in primo *hujus* quod finiti et infiniti ratio quantitati congruit; set quantitas Mathematice considerationis, ergo etc. QUOD Physice videtur: cujus est considerare subjectum, ejusdem est considerare passionem; set ⟨passio⟩ et motus, que sunt subjecta infinitatis, Physice sunt considerationis, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod triplex est infinitum secundum triplicem ordinationem rerum; rerum enim quedam sunt divine vel methaphysice, quedam mathematice, quedam physice. Infinitum autem prout est in Methaphysicis methaphysice est considerationis, et sic de aliis, reddendo singula singulis. Propter quod NOTA quod duplex est infinitum; quoddam est quod non est passio, set est substantia simplex infinite potentie et durationis, et hoc est infinitum in divinis; quoddam est methaphisice considerationis. Et hoc est duplex; quia quoddam est eternum, carens fine et principio, habens potentiam infinitam non limitatam, et simplicissimam essentiam, ut causa prima, que est principium principiorum; aliud est perpetuum, habens principium, carens fine, habens potentiam infinitam respectu inferiorum corruptibilium, set finitam respectu ipsius principii eternalis. Et similiter de essentia dicendum; aliud est infinitum, quod est passio per divisionem et appositionem vel utroque modo causata, et hoc ⟨est⟩ infinitum quod est in quantitate, scilicet magnitudine, vel

17 passio] *Blank in MS.*

continuo in numero vel discreto. Hec autem passio, f. 17 b 1. scilicet | magnitudinis, quod est infinitum et ipsa magnitudo vel quantitas dupliciter consideratur; uno modo in eo quod mathematica vel abstracta, et sic mathematice considerationis; alio modo in eo quod sensibilis et concreta materie, et hoc modo physice sunt considerationis. Et hoc modo de infinito determinatur in hoc libro. Per hoc solvuntur rationes.

Tertio QUERITUR utrum infinitum sit rerum principium. Et videtur quod sic; illud quod est gubernans et continens omnia est rerum principium; infinitum est hujusmodi, ut scribitur *in litera*, ergo etc. AD IDEM: infinitum, si est, est ignotum et incorruptibile, ut dicitur *in litera*; set hec est ratio principii, ergo etc. CONTRA: scribitur primo *hujus* quod principium est alicujus vel aliquorum; si ergo infinitum esset principium, esset alicujus vel aliquorum, et ita extra ipsum esset aliquid scilicet ea quorum esset principium; quod est contra rationem infiniti, ut dicitur *in litera*. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod infinitum quod est subjectum et methaphysice considerationis principium est rerum, et non infinitum quod est passio vel accidens. Ad rationem contrariam, dicendum quod ipsa procedit de infinito quod non est ens. Unde si esset aliqua magnitudo extensa in infinitum, ita et, cum esset causam reperire extra tale infinitum, nichil esset; et de tali infinito loquitur *in litera*. Set hoc modo non dicitur causa prima infinita, sicut visum ⟨est⟩, set propter infinitam durationem et potentie infinitatem, quia infinita producit; hoc enim repugnaret sue sapientie maxime cujus est ordinare, set in infinito non est ordo, et quia non coartata et non ex suppositione materie, set ex nichil producens.

Quarto QUERITUR utrum infinitum sit ingenitum et incorruptibile. Videtur quod non: cujuscumque passionis subjectum exivit in esse, ejusdem subjecti passio in esse exivit; set subjectum infiniti, quod est magnitudo, exivit in esse, aliter essent plura ab eterno, quod est inconveniens, ergo etc. CONTRA: si infinitum est generatum, ipsum est corruptibile, set quod est corruptibile habet terminum et

17 infiniti] infini *MS.* 29 et[1]] set *MS.* 34 infiniti] infinit *MS.*

finem, quod est contra nomen et rationem infiniti. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod ⟨infinitum quod⟩ est substantia prima eterna nullo modo exivit in esse, set ⟨in⟩ omni genere causalitatis seipso est; set infinitum quod est substantia non eterna set perpetua, ut intelligentie, exivit in esse non generatione accidentali vel naturali set creabili, unde naturaliter loquendo ingenitum et incorruptibile; infinitum autem quod est passio ingenitum et incorruptibile est in se, tamen genitum et corruptibile in altero, scilicet in suo subjecto quod est magnitudo. Unde substantie vel subjecta in seipsis ⟨in⟩-corruptibilia sicut in seipsis ⟨in⟩generabilia et existentia, set passiones et accidentia in altero, scilicet in subjectis, quia in eis generibus existunt. Ad rationem contrariam quod 'de infinito quod est passio procedit sicut de alio', dicendum quod dupliciter dicitur infinitum; extensione, et hoc est non-ens et si esset, extra ipsum nichil esset nec haberet principium nec finem, et hoc est infinitum in extremis; aliud est infinitum appositione vel divisione vel utroque modo, et tale finem et habet et principium, nec est infinitum in extremis set in mediis; et tale infinitum est pertransire non in se et in eo quod sic, set in subjecto suo, et de hoc non est verum quod dicitur quod non contingit infinita pertransire, set de alio, scilicet de infinito extenso.

Quinto QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod in perpetuis non differt esse et contingere vel posse. Et videtur quod sit falsum: esse est ab essentia sicut posse a potentia; set in quolibet citra primum differt essentia et potentia; ergo in quolibet citra primum differt esse et posse. AD IDEM: in intelligentia, quod est perpetuum, differt posse se transferre ad locum et esse translatam in locis, quia potest transferre se secundum quod vult ad loca infinita, unde modo in oriens, modo in occidens, non tamen translata est infinitis in locis, ergo in eo differt posse et esse. AD IDEM: perpetua, ut celestia, esse non habuerunt ab eterno, tamen posse esse ab eterno habuerunt: unde ab eterno fuerunt in potentia conditoris, ergo etc. CONTRA:

18 appositione] appetitione *MS*. 27, 28 citra] circa *MS*. 36 conditoris] conitoris *MS*.

quecumque habent existere sub suo toto actu completo (que) in illis sunt, habent esse preter potentiam ad non-esse, et est idem in eis posse esse, et actu esse. Minor patet in *De Celo et Mundo*, ubi dicitur quod celestia habent materiam et formam sub suo toto actu nec ad formam aliam se inclinant, et ideo eadem numero iterantur. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod duplex est potentia; quedam est ordinata ad primum actum qui est esse. Et hec est duplex; quedam est potentia ordinata ad esse ipsum esse precedens, et de ista non intelligitur auctoritas; in omnibus enim creatis differt hec potentia et esse; alia est potentia ipsum esse sequens, et de hac intelligitur auctoritas; unde posse vel potentia que consequitur actum essendi non differt in creatis perpetuis, unde non sunt in potentia ad non-esse physice loquendo, quia illa potentia solum est ordinata ad essendum. Alia autem est potentia vel posse que ordinatur ad secundum actum qui est operari; et de hac iterum non intelligitur auctoritas, set falsa est propositio. Per hoc solvuntur rationes diversis viis procedentes.

QUERITUR hic primo utrum substantia separata a quantitate vel sine quantitate considerata sit divisibilis. Et videtur quod sic: scribitur in *Articulis Fidei* 'quidquid est causa cause est causa causati'; set substantia est causa quantitatis;
f. 17 b 2. quantitas autem causa est et radix | divisionis vel partibilitatis, ergo similiter substantia, ergo etc. AD IDEM: omne illud quod est segregatum vel separatum per formas contrarias est divisibile, separabile, vel partibile; materia, que est substantia, est hujusmodi, ergo etc. CONTRA: nichil quod est confortius puncto est divisibile; materia preter quantitatem est hujusmodi, ergo etc. Major patet quia punctus indivisibilis est; minor patet *capitulo de Augmento*. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod duplex est divisio; quedam est que idem est quod sectio, ut aliquod lignum secatur in duas partes, et hec divisio quantitati convenit,

1–3 quecumque . . . actu esse] *argumentum videtur in aliquo deficiens.*
22 quidquid] quicquid *MS.*

et tali divisione materia vel substantia sine quantitate non dividitur; alia est divisio que idem est quod resolutio, et hec opponitur compositioni, et hoc modo loquendo potest substantia absque quantitate dividi; unde composita substantia in suis principiis componentibus resolvitur. Ad primam rationem, dicendum quod major intelligitur de causis, que cause sunt in eodem genere causalitatis. Set substantia et quantitas non sunt ejusdem generis causalitatis respectu divisionis vel partibilitatis, quia quantitas se habet ad divisionem vel partibilitatem in ratione subjecti vel materie, et ita formaliter partibilis est, substantia autem in genere efficientis, et propter hoc ei formaliter non attribuitur partitio. Secunda solvitur per predicta.

Secundo QUERITUR utrum in corporibus sensibilibus possit esse infinitas. Videtur quod sic: corpora sensibilia per materiam et formam determinata sunt; set materia est ad reiterationem formarum in infinitum, ergo etc. AD IDEM: scribitur .7. *Methaphysice* et in libro *De Sompno et Vigilia* quod potentie cuilibet respondet suus actus; set potentia materie est ad formas infinitas vel in infinitum, ergo forma et actus erunt infiniti vel potentia in infinitum, ergo in corporibus vel rebus sensibilibus que sunt ex materia et forma erit infinitas. CONTRA: quecumque sunt sub determinata magnitudine finita et ordine sunt finita et absque infinitate; corpora hujus mundi vel res sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet de se; minor etiam patet primo *De Celo et Mundo* et secundo *De Anima*. SOLUTIO: ad hoc ⟨dicendum⟩ quod duplex est infinitas: quedam est vicitudinis, et sic materia est ad formas in infinitum; alia est extentionalis, et possibilis non est in rebus vel corporibus, set predicta. Per hoc solvuntur rationes. Vel dicendum ad secundam quod major intelligitur de illa potentia que tota per actum perficitur, cujusmodi non est potentia materie. Unde duplex est actus; quidam est qui totus est in accepto esse, ut actus celestium; alius est in accipiendo et vicitudinis, et hic potentie materie respondet.

Tertio QUERITUR utrum corpus sensibile vel continuum sit divisibile in infinitum. Et videtur quod non: possibile

est quo posito in esse nullum impossibile vel inconveniens, ergo si corpus sensibile in infinitum possibile sit dividi, si dividatur, nullum est inconveniens vel impossibile; set hoc est falsum et inconveniens, quia sequeretur quod infinitum esset actu omnino: quod est contra auctorem *in textu*. AD IDEM: frustra est potentia que non reducitur ad actum; set in natura nichil est otiosum vel frustra, ergo si corpus sensibile vel continuum est in potentia divisibile in infinitum, realiter dividetur; set hoc est impossibile, ut visum est, ergo etc. CONTRA: quod est ejusdem nature et rationis in toto et in qualibet parte susceptivum est ejusdem operationis utrobique; set corpus sensibile et continuum est hujusmodi, ergo etc.; set totum divisibile est, ergo et pars quelibet, et sic erit in infinitum dividendo procedere. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod corpus sensibile continuum dupliciter consideratur; uno modo ratione qua continuum, et sic divisibile est ⟨in⟩ infinitum, quia continuum non fit ex indivisibilibus set ex partibilibus, et hujus ratio est quia componentia aliquod corpus continuum integrantia simul debent esse et se invicem tangere. Set individua non possunt se tangere, quia illa se tangunt quorum ultima simul sunt; set individua ultima non habent, ut punctus, quia tunc non esset simplex, et ita ejusdem est nature utrobique. Hoc enim modo longitudine, latitudine, et profunditate, corpora determinantur. Alio modo consideratur continuum sensibile ratione qua naturale est et sensibile, et hoc modo materia et forma determinatur et ex illis componitur; et hoc modo non est in infinitum in dividendo abire, set stare est ad materiam et formam, ut jam videbitur. Ad .2. rationes, dicendum quod procedunt de potentia que tota per actum perficitur, que scilicet potentia, cum actus acceptus est, non remanet amplius potentia. Set potentia continui ad divisionem non est hujusmodi, imo hujusmodi potentia est ad actum potentie admistum, cujusmodi actu accepto semper cum eo remanet potentia: unde divisso continuo ulterius possibile est dividi. Si queratur

3, 8 est] esse *MS.* 9 realiter] aliter *MS.* 27-8 componitur] compositus *MS.*

hic de hoc quod dicitur, quod continuum potentia divisibile est in infinitum: videtur ibi esse nugatio, quia per hoc quod dico 'divisibile' satis datur potentia vel aptitudo ad dividendum, ergo frustra apponitur hoc quod dico 'potentia'. Ad hoc dicendum quod duplex est potentia qua continuum divisibile est; quedam est actum dividendi antecedens, et hec tangitur per le 'divisibile'; alia est potentia ipsum actum consequens, et hec per le 'potentia' datur intelligi.

Quarto QUERITUR de divisione corporis sensibilis in eo quod | naturale, scilicet utrum status in divisione hujusmodi f. 18 a 1. sit a parte materie vel a parte forme. Quod sit a parte forme videtur: a quo est esse rei, ab eodem est continuatio ipsius et status; set esse est a forma, ergo etc. AD IDEM: a quo est perfectio rei, ab eodem est finitas; set a quo est finitas, ab eodem est status, set perfectio a forma, ergo etc. CONTRA: quod a parte materie sit status videtur. Stare enim ⟨est⟩ in punctis, quia ultima omnium dividentium sunt puncta; set materia preter quantitatem est sicut punctus, ut scribitur *capitulo de Augmento*, ergo in divisione continui erit in materia stare. AD IDEM: quod est principium coartationis et indivisionis debet esse status in divisione; materia est hujusmodi, ut habetur .8. *Methaphysice*, ergo etc.

Quinto QUERITUR, dato quod sit status aliquo modo a parte forme, utrum hoc sit a parte ejus ut dat esse, vel ut est operis principium. Quod non sit status a parte forme ut est operis ⟨principium⟩ videtur: scribitur in *Commento* secundi *Methaphysice* quod 'in fundamento nature nichil est otiosum': set si esset status a parte forme ut est operis principium, illa forma otiosa esset et frustra, quia cessaret a sua operatione, ergo etc. AD IDEM: forme debetur contrarietas et non materie, ut patet primo *hujus*; set scribitur in *De Generatione* 'et contraria approximata impossibile est non agere' ergo forma in operando non ocitabit, ergo etc. QUOD non sit status a parte ejus ut dat esse videtur: forma ut dat esse est in materia; set materiam non est ponere preter formam, ergo, si a parte materie non sit stare in dividendo set ⟨in⟩ infinitum contingit abire, ergo nec a parte forme, quia materie quelibet pars secum trahit portionem forme.

33 ocitabit] octabit *MS.*

Sexto QUERITUR, dato quod sit stare in forma prout est operis principium, utrum hoc sit quia amplius operari non possit, aut quia non reperit proportionale sibi resistens. Quod hoc sit quia amplius operari non possit videtur: scribitur in *De Sensu et Sensato* quod sensibile immutat sensum sub tali determinata magnitudine quod, si esset sub minori, inmutare non posset; ergo in hac forma que est color est status, quia amplius operari non potest. AD IDEM: scribitur *capitulo de Augmento* quod in carne determinatum est minimum, ita quod sub minori quantitate convertere non posset nutrimentum, ergo etc. CONTRA: omnis operatio naturalis per contactum, ut scribitur in hoc *tertio* et in *De Generatione*: set, si scintilla ignis contingeret parvam partem aeris, per sui operationem ipsam in igne converteret, quia majoris est virtutis quam ipsa; si tamen undique ab ipso aere tangeretur, non converteret aera, set cito corrumperetur et in aera converteretur propter debilitatem sue virtutis respectu totius aeris. Manifestum est ergo quod, si forma ignis ita corrumperetur quod stet vel cesset ab operatione, hoc non est quia amplius operari non possit, set quia non reperit proportionale sibi resistens, ergo si fiat status in divisione continui naturalis a parte forme, hoc erit quia non reperit proportionale sibi resistens. SOLUTIO: ad istas tres questiones dicendum quod de corpore naturali sensibili dupliciter est loqui, ut prius dictum est; uno modo ratione qua continuum est, et sic ⟨est⟩ quantitas, et sic istis tribus dimensionibus, que sunt longitudo, latitudo, et profunditas, terminatur et divisibile in infinitum; alio modo ratione qua naturale est, et hoc modo est substantia sub quantitate ex materia et forma composita. Propter quod notandum quod triplex est divisio; quedam est que est resolutio, et hec opponitur compositioni, et hoc modo non procedit divisio in infinitum, set stat in materia; alia est divisio que est rareffactio, secundum quod dicitur in *De Generatione* quod ex uno pugillo terre fiunt .x. aque,

3 proportionale] proportionem *MS.* 13 si] scilicet *MS.* 15 converteret] convertet *MS.* 18 sue] sui *MS.* 19 ita] idem alia *MS.* 24 tres] .4. *MS.*

ex uno aque .x. aeris, etc., et hec iterum non procedit in infinitum set stat, quia ultra millenam proportionem non potest materia rarefieri, et iste due proprie sunt corpori sensibili in eo quod naturale. Tertia est divisio que est sectio vel partibilitas per partes quantitativas, et hec inest corpori sensibili non in eo quod naturale proprie, set in eo quod quantum vel continuum. Et de hac divisione dicendum quod hec est duplex; quedam est per partes secundum equalem magnitudinem, et sic stat divisio; ut, quando secatur aliquid per medietatem, amplius non potest scindi vel dividi, cum toti magnitudini sue preexistenti sint equales, set stat ibi divisio; alia est divisio non ⟨per⟩ partes equales, set per inequales; et hoc modo non stat divisio, set in infinitum procedit. Isti autem modi a parte divisionis assumuntur, a parte igitur corporum divisibilium, sicut est distinguendum. Dicendum igitur quod corpus sensibile aut est simile in ipso aut dissimile: si simile, aut est simplex ut ignis, aut mixtum ut caro. Si sit corpus dissimile in specie, aut dividitur per partes dissimiles et sic est stare, ut manus, si dividitur per carnem et ossa et nervos, status erit in hujusmodi partibus dissimilibus, quia non sunt infinite, set finite; aut dividitur per partes similes, et sic nunquam erit stare in quantum continuum. Si sit corpus simile speciei naturali, ommogeneum et simplex ut ignis, tunc contingit stare non a parte materie, cum sit indeterminata ad plura, set a parte forme, et hoc in quantum naturale. Set stare a parte forme, hoc dupliciter; uno modo prout dat esse, et sic contingit stare in suppremo, scilicet in extentione vel augmento, et secundum hoc dicitur in .2. *De Anima* quod omnium natura constantium status est magnitudinis et augmenti, et hoc secundum speciem; set hoc modo, in infimo scilicet descendendo vel in divisione, non est status sicut nec a parte materie, quia forma secundum divisionem materie in qua est dividitur. Alio modo contingit stare a parte forme ut est operis principium, et hoc modo dupliciter; uno modo quia amplius operari non possit, et sic non contingit stare, unde sintilla ignis semper operaretur, si inveniret proportionale

10 scindi] sindi *MS.* 35 modo] *iter. MS.*

quantum est de se; alio modo quia non invenit proportionale sibi resistens, et hoc modo contingit stare, et hoc modo in f. 18 a 2. infimo. Si autem | sit corpus mixtum simile in specie, vel ommogenium ut caro, tunc non contingit stare a parte materie, nec a parte forme ut dat esse, nisi in suppremo, set in infimo vel dividendo contingit stare ut est operis principium, et hoc quia amplius operari non possit. Et NOTA quod duplex est operatio; quedam animalis, ut inmutare sensum, et hoc modo dicitur quod ⟨est⟩ stare in forma sensibilis, quia sub tali quantitate sensibile immutat sensum, et sub minori non posset operari in sensu vel inmutare; alia est operatio naturalis, ut convertere nutrimentum, et hoc modo dicitur quod caro sub tali quantitate determinata convertit nutrimentum, et sub minori, si esset, hoc operari non posset. Ad objecta prioris questionis, scilicet .4., dicendum quod .2. prima procedunt de forma in suppremo proficiendo, et non ⟨in⟩ infimo dividendo. Ad tertiam rationem, dicendum quod major intelligitur de materia que est in spiritualibus, ut in intelligentiis, quia sicut punctus indivisibilis, sic illa materia; tamen differunt, quia punctus est principium divisionis vel divisibilium, non tamen illa materia. Ad .4., dicendum quod materia originaliter et radicaliter principium est indivisionis et coartationis, forma tamen completive, unde materia de se confusa est et indeterminata. Ad .2. rationes quinte questionis, dicendum quod aliquid esse otiosum hoc est dupliciter; uno modo non vertendo, et sic procedit ratio, quia hoc modo sintilla ignis dicitur otiossa in aere, quia aera in ignem non convertit; alio modo in resistendo, et sic sintilla non dicitur otiosa vel aliquid hujusmodi, quia resistit aeri, aque, et terre, quantum potest, et sic in eis convertitur propter paucitatem substantie et debilitatem virtutis respectu totalitatis aliorum. Per hoc solvuntur alie rationes.

Septimo QUERITUR de infinitate in apponendo continui naturalis: est igitur questio utrum continuum naturale sit infinitum appositione. Et videtur quod sic: illud est infinitum appositione cui nichil potest apponi; linea circularis et

4, 6 contingit] continguit *MS*. 28 ignem] igne *MS*. 30–1 convertitur] convertatur *MS*. 33 continui] contui *MS*.

omnia corpora rotunda sunt hujusmodi, ut scribitur .5. *Methaphysice*, ergo hujusmodi corpora, cum sint continua naturalia, infinita sunt appositione. AD IDEM: divisio opponitur appositioni rerum: sic que est comparatio corporis continui naturalis ad divisionem, eadem debet esse ad appositionem; set omnia corpora divisione infinita sunt, ergo etc. Major patet, quia scribitur *in textu* 'infinitum secundum appositionem idem quod cum infinito secundum divisionem', quia ex eo fit; minor etiam patet *in litera*. AD IDEM: scribitur in secundo *De Anima* quod ignis, presente combustibili, crescit in infinitum; set constat quod hoc est augmentando et appositione, ergo etc. CONTRA: natura est principium motus et status in eo quod est per se: ergo omnibus naturalibus debetur status, set status privat infinitatem appositionis, ergo etc. AD IDEM: scribitur .4. *hujus* quod natura est principium totius ordinationis; set infinitas extensione vel appositione repugnat ordini, ergo in rebus naturalibus hujusmodi infinitatem non erit reperire. AD IDEM: extra infinitum nichil, ut scribitur *in litera*; ergo, si esset status in extentione et appositione corporis, tantum unum corpus esset, quod est falsum. Ad hoc etiam possunt adduci omnes rationes auctoris. Gratia hujus

Octavo QUERITUR de hoc quod dicit *in litera* quod extra infinitum nichil est. Videtur contrarius sibiipsi, quia versus finem hujus libri dicit quod infinitum est cujus quantitatem accipientibus semper contingit aliquid extra sumere. AD IDEM: extra magnitudinem numeri et temporis, que infinita sunt divisione, appositione, vel utroque modo, semper contingit aliquid extra accipere, ergo etc. CONTRA: si est aliquid extra infinitum, duo corpora erunt in eodem loco, quod est impossibile, quia infinitum extentione ubique extenditur, aliter non esset infinitum. SOLUTIO: ad hec, ut predicte questiones ad plenum solvantur, diligenter notandum quod infinitum multipliciter dicitur. Uno modo dicitur aliquid infinitum a privatione principii et finis simpliciter et extra genus, cujus etiam virtus et operatio non est limi-

11 presente] presuntione *MS.* 13 in eo] *iter. MS.* quod] quo *MS.*
25 d. q. i.] *iter. MS.* 27 numeri et temporis] numerus et tempus *MS.*

tata vel coartata, et hoc modo prima causa. Secundo modo a privatione principii et finis non simpliciter, set in genere, et hoc modo principia nature infinita sunt, ut materia prima et forme ipsi concreate, que generatione physica non exiverunt nec desinent, et hoc modo est in genere substantie. Tertio modo a privatione principii et finis vel termini, et hoc in genere accidentis, et hoc modo punctus dicitur infinitus quia in illo genere non habet principium nec terminum: terminus enim indivisibilis terminatus non est, ut scribitur in primo *hujus*, et ita in genere quantitatum continuativarum non habet terminum, set est terminus, nec principium, set est principium. .4. Modo dicitur infinitum aliquid a privatione finis, hujusmodi est principium, et hoc modo intelligentia dicitur infinita. .5. Modo a privatione finis et principii intra, retinens tamen principium et finem extra, et hoc modo omne corpus et figura rotunda dicitur infinita, ⟨ut⟩ videtur notabiliter in circulo ⟨in quo⟩ non est reperire finem nec principium. .6. Modo dicitur aliquid esse infinitum a privatione | f. 18 b 1. certitudinis et cognitionis, et hoc modo individua dicuntur infinita quia incerta nobis propter sui continuam transmutationem, et stelle infinite quia nobis sunt innumerabiles. .7. Modo dicitur aliquid infinitum propter vicitudinem et reiterationem circa ipsum factam, et hoc modo in materia reiterantur forme in infinitum. .8. Modo ratione privationis, inordinationis, et defectus, et hoc modo fortuna, que inordinatio est intellectus, dicitur infinita, et tenebra que est privatio lucis. Et de istis .8. modis infiniti auctor *in litera* non facit mentionem, set de statim dicendis loquitur. Dicitur ergo aliquid esse infinitum primo istorum modorum, quod nullo modo sensu potest pertranssiri, sicut vox dicitur invisibilis; secundo modo quod etsi sit pertransire de difficili, tamen potest pertransiri, et hoc modo longa via dicitur vetule infinita; tertio modo dicitur infinitum quod nullo modo potest pertranssiri, et hoc est infinitum in extensione, et tale infinitum nichil est et si esset, extra ipsum nichil esset, et de hoc probavit Aristoteles quod tale nullo modo nec actu nec potentia est ponere, et

3 infinita] insita *MS.* 37 quod] quod per *MS.*

hoc est infinitum in extremis. Quarto modo dicitur infinitum in divisione, et hoc est infinitum in magnitudinibus, et tale est ponere non in accepto esse vel in actu completo, set in potentia, scilicet in accipiendo, unde quod acceptum est vel divisum non est infinitum, set accipiendum vel dividendum, et sic dicitur continuum divisibile. Quinto modo est infinitum in appositione et extensione similiter quia in potentia et non actu, quia idem esset cum infinito extentione: unde quod appositum est vel extensum finitum est, set extendendum vel apponendum infinitum, et hoc modo dicitur tempus infinitum. Infinitum secundum istos duos modos dicitur esse infinitum in mediis et non in extremis, et quantum ad istos .2. modos intellexit Aristoteles infinitum esse, ut dictum est; de istis etiam modis intellexit, cum dicitur quod infinitum est cujus quantitatem accipientibus semper est aliquid extra sumere. Per hoc patet solutio .8. questionis et rationum ejusdem. Attendendum tamen est quod hic de infinito appositione quod est in numeris non facimus mentionem, set postmodum faciemus: ibi enim de continuo naturali solummodo intendimus. Nunc ad rationes .7. questionis ostendentes continuum vel magnitudinem infinitum esse appositione contingit respondere. Ad primam ergo, dicendum quod figura circularis non dicitur infinita appositione quia appositum ei sit infinitum, set quia non potest ei fieri additio et, si fiat, hoc erit se remanente in eadem figura, scilicet circulari. Ad secundam, dicendum quod illa auctoritas litere per quam major confirmatur intelligenda est de appositione numerali, et non de appositione continui vel extensionis adinvicem. Unde ⟨si⟩ linea vel aliud continuum divideretur in infinitum, tunc appositio illarum partium adinvicem esset infinita, hujusmodi autem appositio non esset continui vel extensibilis alicui in infinitum, set esset appositio partium discretarum et numeralium; si enim tota linea vel aliquod continuum finita sit in extremis vel terminis, necessario erit quod omnes partes per quas dividitur sint sibi finite in extremis vel terminis, et ita earum appositio non erit continui in infinitum

7 extensione] *forsan* secundo *MS.*   18 hic] hic dicitur *MS.*

extensi, nec ex earum appositione fiet continuum infinitum appositione vel extensum, set potius numerus infinitus. Ad tertiam, dicendum quod duplex est appositio; quedam est forme, et sic non est aliquid continuum appositione infinitum, ut dictum ⟨est⟩; alia est operis, et hoc modo potest esse infinitum, ut ignis combustibili confluit in infinitum. Sciendum tamen quod operatio non est ⟨in⟩ infinitum, set in operatione ignis vel aliqua consimili, scilicet modus vel ratio operandi. Propter quod diligenter Notandum quod infinitum secundum quod est aliquid, scilicet appositione vel divisione quod est infinitum in mediis, non est res, set signum vel modus accipiendi; infinitum autem extensione, scilicet infinitum in extremis, si esset, res esset, quia non esset in accipiendo, set in accepto esse, et ita res et non modus vel signum. Ex quo patet quod diffinitio communis que est quod infinitum ponit, sive prout est res vel prout est modus, est competens.

Quesito de infinitate prout est in naturalibus, nunc de ipsa ut est in mathematicis restat inquirendum. Est igitur prima questio utrum infinitum divisione sit in mathematicis. Videtur quod non: in separatis a materia non est infinitas divisione; mathematica separata sunt a materia vel abstracta, ergo etc. Major patet quia status est in continuo naturali non a parte materie set a parte forme, ut visum est, et hoc est quia materia causa est et radix infinitatis et partibilitatis; minor patet in primo *De Anima*, ·6· *Metha-*
f. 18b 2. *physice*. AD IDEM | : in naturalibus, ut visum est, stare est a parte forme in suppremo ut dat esse et in infimo ut est operis principium; cum ergo ⟨circa⟩ mathematica illud quod sunt forme sit, in ipsis utrobique erit stare, necnon in ipsis infinitas ⟨erit⟩ aliquo modo. CONTRA: omne continuum in quantum hujusmodi divisibile in infinitum; set omne continuum in eo quod tale mathematice est consideratio is, ut habetur in tertio *Celi et Mundi*; ergo in mathematicis erit

8 scilicet] set *MS.* 11 mediis] medis *MS.* 16 ponit] pt *MS.*
19 ipsa] ipso *MS.* 30 sit] sint *MS.*

divisione infinitas. Major patet ·6· *hujus.* SOLUTIO: ad hoc dicendum quod corpus continuum potest considerari dupliciter; uno modo in quantum naturale, et sic est substantia materia et forma determinata, et hoc modo in ipso est ponere statum in dividendo, ut visum est; alio modo in quantum mathematicum vel abstractum tribus dimensionibus, que sunt longitudo, latitudo, et profunditas determinatum, et hoc modo non stat in dividendo, set infinitum. Ad primam rationem, dicendum quod duplex est materia; quedam sensibilis, et ab hac mathematica abstracta sunt; alia intellectualis, et hanc retinent. Vel dicendum quod res mathematice non sunt omnino extra materiam vel absque materia, set in materia sunt, ab intellectu tamen accipiuntur ut in materia sunt, et pro tanto dicuntur a materia: unde cum dicitur 'res mathematice non concernunt materiam', ibi fit negatio modi accipiendi et non rei accepte. Ad secundam, dicendum quod mathematicalia non sunt forme tantum, set sunt forme expanse in materia, ut visum est.

Secundo QUERITUR utrum in mathematicis sit infinitum appositione. Et videtur quod sic: status est in naturalibus a parte forme, ut est dans esse in suppremo et in infimo, ut est operis principium; set res mathematice non habent formam dantem esse, quia talis forma est in materia et, ut in materia consideratur, non dicitur mathematica, nec formam que est operis principium, quia absolute sunt a motu et ita ab operatione; ergo in eis non contingit stare aliquo modo, set omni modo erit ibi infinitas, scilicet in infimo vel divisione et in suppremo vel appositione. AD IDEM: nulla forma a terminis dimensionis non limitata vel determinata a terminis dimensionis statum recipit et finitatem; forme mathematice non sunt limitate nec determinate a terminis dimentionis, quia hujusmodi ultima sunt corporum que materialia sunt; set mathematice forme a materia abstrahuntur, ergo ab ipsis statum et finitatem non recipiunt, set infinite remanebunt, ergo etc. AD IDEM: scribitur in *Geometria* hec propositio

25 dicitur] autem *MS.* 26 absolute] absoluto *MS.* 27 contingit] continguit *MS.*

scilicet quod supra quamlibet datam lineam triangulum equilaterum collocare ⟨est⟩. Sit linea data dyameter mundi, supra quam non potest triangulus equilaterus collocari nisi pertranseundo circumferentiam vel celum, ad circulos describendum; set si sic, tunc ipsi orbi primo, id est celo, erit infinitam magnitudinem apponere ad hoc ut describantur circuli propter triangulorum collectionem; set hujusmodi celum mathematice considerationis est; ergo in mathematicis erit infinitum appositione. CONTRA: extra infinitum extensione quod est infinitum appositione nichil est; ergo, si tale infinitum esset, nichil aliud esset, quod est inconveniens. AD IDEM: scribitur *in litera* quod quantamcumque contingit magnitudinem esse in potentia, tantam contingit eam esse actu; ergo si aliquid possit esse infinitum appositione, contingeret illud idem esse infinitum actu, et ita aliquid esset celo majus, quod est falsum. Gratia hujus

Tertio QUERITUR a quo ista appositio vel extentio in infinitum ipsarum rerum mathematicarum proveniat vel causetur, scilicet utrum ab intellectu. Et videtur quod non: intellectus formas omnino separatas a materia, ut essentias, considerationis mathematice intelligens non potest eas intelligere in infinitum; ergo multo minus res mathematicas, que secundum esse materie conjuncte sunt, intelligendo poterit extendere in infinitum. AD IDEM: scribitur primo *hujus* quod passiones a materia vel subjecto non sunt separabiles; ergo per intellectum non extenditur res vel forma mathematica ultra suam materiam vel in infinitum, quia separabilis esset ab eo, quod est falsum. AD IDEM: 'infinita non contingit pertransire'; si ergo intellectus in infinitum aliquid extenderet, infinita pertransiret. AD IDEM: scribitur .2. *Methaphysice* quod 'intellectus nunquam accipit lineam nisi ut lineam', et ita ut finitam, quia omnis linea actu finita, habet scilicet terminos scilicet duo puncta, ergo a parte intellectus non potest

5 id est] idem *MS.* 6 erit] cum *MS.* 13, 29 contingit] continguit *MS.* 16 majus] magis *MS.* 17 appositio] propositio *MS.* 20 intellectus] intelligens *MS.* 22 mathematicas] matheticas *MS.* 30 pertransiret] pertransire *MS.*

causari hujusmodi extensio rerum in infinitum. CONTRA: quidquid est principium abstractionis mathematicarum principium est extensionis earum in infinitum; set res mathematice intellectu abstracte sunt; ergo etc. AD IDEM: intellectus quantumcumque intelligit, adhuc possibile est amplius intelligere, et si amplius potest intelligere, illo accepto, adhuc amplius potest intelligere, et sic in infinitum, ergo etc. SOLUTIO: ad .1. questionem, dicendum quod differenter contingit stare in naturalibus et mathematicis in appositione, quia in naturalibus ex parte forme prout dat esse in suppremo vel in appositione contingit stare, et hoc est quia naturalia per formam et materiam determinata sunt; set in mathematicis non sic, quia formam secundum quod est in materia non considerant, set in eis | (f. 19 a 1.) contingit stare in terminis divisionis, quia mathematica in eo quod hujusmodi per dimensiones que sunt longitudo, etc., determinatur. Set NOTA quod stare in appositione hoc est dupliciter; uno modo secundum rem et veritatem, et sic est stare in mathematicis; alio modo secundum intellectum et ymaginationem, et sic in mathematicis non est stare in appositione vel extentione. Et per hoc quod dicitur *in textu* quod intelligentie omnino credere inconveniens est, intelligentia, id est intellectus, secundum quod est componens vel dividens, vel ymaginatio magnitudinem in infinitum potest componere, extendere, et ymaginare, que tamen in veritate finita est. Set in physicis vel naturalibus utroque modo, scilicet secundum rem et intellectum, contingit stare, et hoc est quia intellectus physicus depressus est circa materiam et sensum; in mathematicis autem solum secundum veritatem stare contingit, quia intellectus mathematicus non est pressus circa materiam et sensum, set ultra elevatur, et propter hoc ultra materiam formam inchoatam potest extendere et ultra sensibilem magnitudinem extendit et apponit. Set NOTA quod hujusmodi res mathematice, ut linea et hujusmodi, infinite dicuntur secundum intellectum, non quia ⟨quod⟩ de illis acceptum est ab intellectu

5 quantumcumque] quarumtumcumque *MS.* 9, 14–15, 27 contingit] continguit *MS.*

sit infinitum, set quia accipiendum et extendendum infinitum, et ita patet quod intellectus propter hoc non pertransit infinita, set semper finitum est quod apprehendit. Per hec solvitur ratio prima, quia a parte forme in mathematicis est status, scilicet a parte terminorum dimensionis, ut dictum ⟨est⟩, et hoc secundum rem et veritatem, et non secundum intellectum et ymaginationem. Ad secundam, dicendum quod termini dimentionis possunt dupliciter considerari; uno modo prout sunt ultima naturalium corporum, et sic sunt physice considerationis, et sic non sunt coartata vel determinata, nec per ipsa fit coartatio vel determinatio aliqua; alio modo consideratur secundum se et in eo quod hujusmodi, et sic sunt mathematice considerationis, et hoc modo per hujusmodi terminos limitate et determinate sunt forme mathematice. Tertia ratio per verificationem questionis est soluta. Ad ALIAM QUESTIONEM, dicendum quod hujusmodi appositio vel extentio in infinitum ipsarum mathematicarum ab intellectu causatur, et a principio indivisibili quod est punctus, et non a re vel natura ipsarum rerum. Ad primam rationem, dicendum quod non est simile de substantiis omnino separatis et de formis mathematicis abstractis, quia substantie separate nunquam fuerunt unite materie, et propter hoc intellectus non potest eas accipere ut sunt in materia et ultra materiam extendere; set forme mathematice in materia existentes ab intellectu, non ut in materia sunt, accipiuntur et ultra extenduntur. Ad secundam, dicendum quod procedit de passionibus physicis, et non mathematicis. Vel potest solvi, et melius, per solutionem precedentis questionis. Tertia ratio et quarta per predicta dissolvuntur.

Quarto QUERITUR utrum quantamcumque contingit esse magnitudinem in potentia, tantam ⟨contingat⟩ esse in actu, sicut dicitur *in litera*. Et videtur quod non: magnitudo mathematica potentia extensa est in infinitum, ut visum est, ergo si hoc esset verum, magnitudo actu extensa esset in infinitum: quod est impossibile. CONTRA: frustra est

5 scilicet] set *MS.* 26 accipiuntur] accipiunt *MS.* 31 contingit] continguit *MS.* 35 ergo] quod ergo *MS.*

potentia que non reducitur ad actum, ergo quanta est magnitudo potentia, tantam contingit eam esse actu, aliter frustra esset. AD IDEM: differunt actus et potentia, omne enim habens actum habet potentiam, et non convertitur, unde in eodem prius est potentia quam ⟨actus⟩ et per ipsum terminatur, unde actus terminus est potentie, ergo in eadem magnitudine prius existente potentia ad aliquam transpositionem, contingit quod sequatur actus qui est terminus ejus; ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod hujusmodi propositio, scilicet 'quantamcumque contingit' etc. vera est de magnitudine physica, falsa autem de mathematica; et quia descendunt nomina quantum ad materiam et formam, et etiam intelligendi sunt sermones secundum materiam, quia ibi auctor physicus est, ideo debet dici esse vera. Vel dicendum quod esse magnitudinem in potentia hoc est dupliciter; uno modo in potentia materie, et sic vera; alio modo in potentia agentis abstrahentis vel intellectus, et sic falsa. Vel dicendum quod esse in actu hoc est dupliciter, secundum quod duplex est actus; uno modo in actu qui est in accepto esse totam potentiam preexistentem perficiens, et sic est falsa; alio modo esse in actu qui est in accipiendo, qui semper potentie est admixtus, et hoc modo vera. Per hoc solvuntur rationes.

Quinto QUERITUR utrum infinitum appositione et infinitum divisione sint idem aliquo modo, sicut dicit *in litera*. Et videtur quod non: quarum passionum subjecta differunt, et eorum passiones; set magnitudo subjectum est infiniti divisione, numerus autem subjectum infiniti appositione; set hec differunt, ergo infinitum divisione et infinitum appositione, que sunt eorum passiones, differunt. CONTRA: infinitum appositione causatur ex infinito divisione, ut dicit *in litera*; ergo hec aliquo modo conveniunt, et idem sunt. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod infinitum appositione dicitur tripliciter; uno modo est in eis in quibus est naturalis ordo et convenientia, et hoc est infinitum in numeris; secundo modo dicitur infinitum | appositione, quod infini- f. 19 a 2. tum est extensum, et hoc est infinitum quod est in magni-

8 qui] quod *MS*. 8, 10 contingit] continguit *MS*. 25 sint] fiunt *MS*.

tudinibus, set non actu nec potentia secundum rem et veritatem, set solum secundum intellectum, ut visum est, et istis duobus modis infinitum appositione non est idem cum infinito divisione; tertio modo dicitur infinitum appositione quod causatur ex multitudine partium diversarum, et tale infinitum appositione ex infinito divisione causatur, et est idem cum illo nec substantia differunt. Per hoc solvuntur rationes.

Sexto QUERITUR utrum per appositionem contingat excellere omnem terminatam magnitudinem sicut per divisionem. Videtur quod sic: infinitum causatur appositione ex infinito divisione et est idem quodammodo cum illo, ergo etc. AD IDEM: sicut contingit magnitudinem tantam excellere per divisionem in infinitum, sic contingit per appositionem. CONTRA: appositio est a parte forme; set in forma contingit stare, ergo per appositionem magnitudinem terminatam non erit excellere. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod secundum appositionem et extentionem intellectualem vel ymaginabilem contingit excellere omnem magnitudinem terminatam, et hoc in mathematicis, non tamen per appositionem vel extentionem realem et veram, nec in physicis. Unde cum dicitur quod extra celum non est nec tempus nec locus nec ymaginabile aliquid, hoc est verum quantum est de intellectu physice, vel ymaginatione circa sensum et materiam depressa, et non de mathematica. Ad rationem, dicendum quod duplex est appositio; quedam est numeralis, et de hac verum est et procedit ratio; alia est magnitudinis, et de hac non contingit terminatam magnitudinem secundum rem excellere. Unde, proprie loquendo, dicendum est quod per hujusmodi appositionem numeralem omnem multitudinem terminatam contingit excellere, et non magnitudinem.

Septimo QUERITUR utrum in appositione magnitudinis sit abire in infinitum sicut in appositione numeri. Et videtur quod sic: numerus forma est, unitas autem posterius appo-

9 Sextο] Septimo *MS.* 10, 17 excellere] exellere *MS.* 13 Ad idem] Contra *MS.* 13, 14, 19, 28-9 contingit] continguit *MS.* 20 terminatam] terminam *MS.*

sita forma est ipsius numeri completiva, dans esse, reponens in specie; similiter ⟨in⟩ magnitudine est forma dans esse et terminans, ut punctus, qui est principium et terminus ipsius linee. Cum igitur appositio in numero fiat in infinitum, et hoc a parte forme completive dantis esse, que est unitas, quia contingit in infinitum unitatem addere vel apponere cuilibet numero, alium numerum constituendo et perficiendo, manifestum est quod in appositione magnitudinis continget similiter in infinitum abire novam magnitudinem et numerum constituendo, cum ibi sit forma dans esse, complens et terminans magnitudinem in eo quod magnitudo vel continuum, ut punctus in linea. CONTRA: 'si oppositum in opposito, et propositum in proposito': quantitas continua et discreta opposita sunt, similiter infinitum divisione et appositione sunt opposita; set quantitas discreta, scilicet numerus, infinita est divisione, ergo continua, ut magnitudo, infinita appositione et non divisione. Sed contra hoc potest obici de tempore, quod est quantitas continua, utroque tamen modo est infinitum, scilicet appositione et divisione. SOLUTIO: ad hec dicendum quod punctus est ultimus terminus magnitudinis, unitas autem terminus ultimus ipsius numeri, set differenter, quia punctus in linea est sicut forma et determinans, et non sicut materia: linea enim non fit ex punctis nec aliqua magnitudo, quia ea ex quibus fit aliquid oportet esse simul et se adinvicem tangere; set puncta simul esse non possunt nec se invicem tangere, quia illa se tangunt quorum simul ultima, puncta autem non habent ultima, quia hec essent prima et sic essent divisibilia, quod est contra rationem puncti. Et quia forma dat statum et finitatem, ideo in magnitudine est status et finitas a parte appositionis, que appositio est a parte forme. Set sic non est de unitate, quia unitas non tantum forma est vel terminus numeri, set etiam materia; et propter hoc in appositione non est stare in numero, cum unitas que materia est numeri apponetur, et a parte materie non est status vel finitas. E contrario autem est de divisione: unde in numero in divisione contingit stare, et hoc est quia omnes partes numeri

8, 37 contingit] continguit *MS.*

que ipsum dividunt formales sunt et a parte forme contingit stare; unde in divisione numeri usque ad unitatem contingit pervenire, quia numerus ex unitatibus fit et integratur; set in divisione magnitudinis non contingit stare, quia ejus partes se integrantes materiales sunt. Unde continuum ex continuis fit, ad non-continuum tamen terminatur, scilicet ad punctum. Set in materia non est finitas vel status uno modo ratione infiniti continui: unde in divisione linee non est pertransire usque ad puncta, quia divisio est a parte materie, puncta autem non sunt materia nec principia integrantia ipsam, set sunt tanquam forma complens et terminans. Per hoc patet solutio rationum questionis. Ad illud quod obiciebatur de tempore, dicendum quod tempus est quid continuum, et etiam quid discretum, sicut in .4. *libro* declarabitur, et propter hoc duplicis infinitatis est subjectum.

Octavo QUERITUR utrum infinitum sit ut materia, sicut dicit *in litera*. Et videtur quod non: scribitur *in litera* quod infinitum non est in potentia sicut es est in potentia |
f. 19 b 1. ad statuam; set es est in potentia ad statuam ut materia, ergo infinitum non est ut materia. AD IDEM: materia est in potentia ad formam dantem actum primum, qui est esse; set infinitum est in potentia ad actum secundum, qui est operari, ut dividere vel apponere, ergo infinitum non est ut materia. CONTRA: de rei compositione non sunt nisi duo; unum est forma que terminat et finit; aliud est materia, et hec non terminat, set est radix infinitatis, ergo infinitum est ut materia. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in materia duo sunt; unum est substantia materie vel essentia, que in se simplex dicitur, et quantum ad hoc non est infinitum ut materia; aliud est sua potentia, et quantum ad hoc infinitum est ut materia, quia sicut potentia materie se habet ad formas infinitas, sic infinitum est in potentia ad divisionem vel appositionem. Per hoc solvuntur rationes.

1, 2, 4 contingit] continguit *MS.* 8 ratione] non *MS.* continui] *forsan* contingit *MS.*

SUPRA QUARTUM PHYSICORUM: DE LOCO DE ⟨VACUO DE TEMPORE⟩

Similiter autem est necesse et de loco dicere

QUERITUR hic de loco. Prima questio est, utrum locus sit. Videtur quod non: omne quod est exivit in esse per motum, scilicet per naturam, vel per mutationem, scilicet per creationem; set locus non exivit in esse per motum, quia omnes motus post locales sunt, non ergo est motus ante locum, ergo locus per motum non exivit. Nec per mutationem, que est creatio: que a creatione producta sunt in seipsis et per se existunt; set locus non per se stat, cum sit quantitas, ut jam videbitur, et ita accidens, ergo manifestum est, quod locus non est. AD IDEM: locus non est sensibile nec intelligibile, ergo non est. Non est sensibile, quia non est commune, cum non sint nisi quinque ⟨sensibilia⟩ nec est aliquid illorum; nec est proprium, quia tunc esset intra speciem qualitatis et aliquem sensum proprium inmutaret: quod manifeste est falsum. Non est intelligibile, quia sola substantia objectum est intellectus, locus autem substantia non est. CONTRA: omnis natura corporibus ad sui conservationem collata est aliquid; locus est hujusmodi, ergo etc.

Cui questioni addimus, utrum sit substantia vel accidens. Quod sit substantia videtur: esse quod potest esse sine aliis et non e contrario est vere ens sive substantia; locus est hujusmodi, ergo etc. Minor scribitur *in litera*, ubi dicitur quod locus non perditur, hiis que sunt in loco corruptis vel perditis. AD IDEM: esse influens conservationem alteri nobilius est eo; set locus influit conservationem locatis, ergo etc.; set locata substantie sunt, ergo multo fortius locus substantia erit. CONTRA: locus est ultimum corporis, ut scribitur *in litera*; set ultimum corporis super-

1 quartum] locum *MS.* 7 naturam] materiam *MS.* 9 omnes] omnis *MS.* 19 inmutaret] inmutarent *MS.* 20 intelligibile] intellige e *MS.*

ficies est, superficies autem accidens, quia quantitas, ergo etc. AD IDEM: omne mensurans quantitas; set locus est mensura locati, ergo etc. AD IDEM: quod sit qualitas et non substantia nec quantitas videtur: omne illud a quo est influentia, ipsum est qualitas generare et non quantitas, proprium enim est qualitati influere, et non quantitati; set a loco est influentia supra locatum, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod locus est aliquid, et quod exivit in esse non per motum vel naturam nec per creationem nec per influentiam proprie loquendo, set per concreationem; unde non exivit in esse in se, set cum altero, scilicet cum corpore primo mobili, quod est celum; unde celum, locus, et motus, simul exiverunt, set celum in se exivit et per creationem, motus non in se, set in altero, scilicet cum celo, hoc per influentiam; locus non in se, set cum altero, scilicet cum celo, et hoc per concreationem. Per hoc solvitur ratio prima. Ad secundam, dicendum quod locus sub sensu communi reponitur, vel solvendum per verificationem questionis. Ad annexum, dicendum quod duplex est locus; quidam est locans, et hic est substantia nec adequatur locato; alius est locus quo locans locatur, et hic est accidens quia superficies corporis continentis et locantis. Ad primam rationem, dicendum quod etsi locus sine locatis corporibus possit esse, non tamen sine loco vel corpore locante potest esse; vel dicendum quod etsi locus sine hoc locato vel illo possit esse, non tamen penitus sine aliquo potest esse. Ad secundam, dicendum quod duplex est conservatio rei, quedam est ab intra, et sic a substantia; alia ab extra, et sic a loco; et de hac non oportet quod conservans sit nobilior conservato. Ad tertiam rationem ostendentem quod locus esset qualitas, notandum quod loco duplex natura debetur; quedam est que est continere et ambire, et quantum ad hoc est in ratione mensure, et est quantitas; alia est influere et conservare, et quantum ad ⟨hoc⟩ potest dici esse qualitas.

Secundo QUERITUR utrum omnia sint in loco. Videtur quod sic: omne quod ⟨est⟩ coartatum et limitatum substantia, virtute et operatione est in loco; omniaque sunt citra primum

37 operatione] comparatione *MS.*

sunt hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia omne quod sic est terminatum est, locus autem est ultimus terminus; minor patet de se. AD IDEM: scribitur *in litera* quod non est aliquid nusquam est, ergo ab oppositis, quod est aliquid in aliquo loco est, ergo etc. CONTRA: locus, in eo quod locus, est partibilis quia quantitas est; set locus, ut scribitur *in litera*, adequatur locato; ergo quidquid in loco est, partibile est; set scribitur in *De Causis* quod substantia intelligentia, que est substantia spiritualis, non est partibilis; ergo non est in loco; non ergo sunt | in loco. Quapropter cum hoc f. 19 b 2.

Secundo QUERITUR utrum spiritualis substantia sit in loco. Videtur quod non: locus debetur locato propter sui fluxum, indeterminationem, et conservationem; set substantie spirituales, ut intelligentie, sunt sine fluxu et indeterminatione, ergo eis locus non omnino debetur. AD IDEM: scribitur *in litera* ⟨quod⟩ locus est ultimus terminus corporis continentis; set substantie spirituales carent hujusmodi terminis, ergo etc. CONTRA: scribitur in primo *De Celo et Mundo* quod celum est locus dei et spiritualium, ergo etc. AD IDEM: dicit Augustinus quod anima, eo quod carne clauditur, in loco dicitur esse; set anima substantia spiritualis, ergo etc. Ad evidentiam predictorum

Tertio QUERITUR utrum corpora naturalia sint in loco. Videtur quod non: corpora naturalia per formas contrarias distincta sunt, ut patet in elementis; ergo, si essent in loco, contrarium esset in contrario, quia unum contenderet alterum, ergo non sunt in loco. AD IDEM: per eadem per que fit res et ex quibus componitur, conservatur; set res naturales fiunt et constituuntur ex primis principiis naturalibus, que sunt materia et forma, ergo alio conservante non indigent, ergo non indigent loco nec in eo sunt. CONTRA: scribitur *in litera* quod omne corpus in loco, et in omni loco corpus. AD IDEM: corpora naturalia a natura sic dicuntur; set natura est principium motus et quietis, ergo omnia corpora naturalia motu et quiete indigent; set hujusmodi sunt in loco, ergo corpora naturalia loco indigent et in loco sunt. SOLUTIO: ad istas questiones dicendum quod

28 fit] *iter. MS.*

aliquid dicitur esse in loco tripliciter ; communiter, proprie, et magis proprie. Communiter esse in loco est esse in loco per presentiam et ubi est operans, et sic substantia natura prima dicitur ⟨esse⟩ in loco, quia ubique est essentialiter et ubique potest operari ; proprie esse in loco est ⟨esse⟩ per diffinitionem et determinationem sicut 'ubi', et sic intelligentia dicitur esse in loco ; magis proprie esse in loco est ⟨esse⟩ per circumscriptionem et ambitum dimentionum, et sic omne corpus naturale est in loco. Et NOTA quod substantiis spiritualibus, ut intelligentiis et animabus, debetur duplex locus ; ⟨unus⟩ earum est corporalis, et in isto sunt per accidens, unde anima per accidens est in loco corporali, scilicet in corpore cujus est perfectio et actus, quia corpus in loco est per se et anima in loco per corpus ; intelligentia autem in loco corporali est per duplex accidens, quia intelligentia non unitur corpori sicut actus vel perfectio, set sicut motor tantum, et ideo ipsa est in loco per sui operationem que est movere et hujusmodi per motum corpus. Est autem alius locus earum, scilicet spiritualis, et in hoc loco per se sunt. Et hic est duplex ; quidam est terminatio virtutis et limitatio potestatis, et hic est unicuique earum, scilicet substantiarum spiritualium, proprius ; alius est ambitus divine virtutis, et hic est communis, citra quem spiritualia suis affectionibus moventur. Et NOTA quod, cum dicitur *in litera* quod loci natura vult esse extra, hoc est intelligendum de loco proprissime dicto, scilicet ambiente. Per hoc solvitur illa objectio que posset fieri quod extra deum nichil est, ergo deus non est in loco aliquo : quia deus est ubique non circumscriptive, hoc absit, set ubique essentialiter et presentialiter, unde in omni loco est, et loco non inclusus, et est extra non exclusus. NOTA etiam quod illa dicuntur esse in loco per se que loco adequantur, ut corpora, et illa per accidens que loco non adequantur, ut termini corporum, sicut puncta. Cum hiis etiam est notandum quod celum non dicitur esse locus dei et spiritualium quia ea contineat et circumscribat, set quia in illo deus et

3 et[1]] *iter. MS.* 15 accidens] per accidens *MS.* 19 earum] eorum *MS.* 21 limitatio] limiatio *MS.* 36 illo] illa *MS.*

spiritualia primo et manifestius operantur. Per hec omnes iste questiones et primarie et secundarie questionis objecta dissolvuntur. Ad primam rationem questionis tertie superaddite, dicendum quod in corpore naturali duplex est natura; quedam qualitativa, et quantum ad hoc contrariantur, nec unum continet alterum; alia est quantitativa, et sic non contrariantur, set unum est locus alterius ipsum continens. Ad secundam, dicendum quod duplex est rei conservatio; quedam intrinseca, et de hac procedit ratio; alia est extrinseca, et hec est a loco. Unde ⟨nota⟩ quod res tripliciter habent esse; uno modo in se, et sic a forma et materia conservantur; secundo modo in ordine, et sic a loco est earum conservatio; tertio modo in substantiis spiritualibus, et sic a virtute divina omnia conservantur.

Tertio principaliter QUERITUR utrum illa naturalis potentia, per quam gravia deorsum feruntur et levia sursum, debeatur ipsi loco attribui. Et videtur quod non: scribitur primo *De Generatione* quod finis solum movet secundum methaphoram et non secundum veritatem; set locus est finis locatorum, quia locata ad locum moventur naturalem, quo habito quiescunt; set naturalis potentia per quam moventur corpora locata ad loca propria non solum movet secundum methaphoram set secundum veritatem, ut patet sensibiliter, ergo hujusmodi potentia loco non est attribuenda. AD IDEM: nulla virtus naturalis corrupta ad corruptibilitatem corporis et non loci, debetur loco set corpori, set hec virtus est hujusmodi subjectum; set virtus naturalis manet corrupto loco aliquo, ut si lapis sit sursum, | corrupto loco f. 20 a 1. in quo est, adhuc remanebit in eo potentia naturalis inclinans, ergo etc. AD IDEM: nulla virtus naturalis excedit illud in quo est; set hec virtus naturalis movendi est in mobili vel locato, ergo non excedit nec est alibi, ergo non est in loco. Major patet de se; minor apparet quia nisi esset in locato mobili, tunc idem locus equaliter gravia et levia attraheret, quod esset falsum apperte. AD IDEM: celum est locus

11 forma] *iter. MS.* 25–6 corruptibilitatem] corruptibilem *MS.* 28 sit] si *MS.* 29 eo] ea *MS.* 32 alibi] albi *MS.* loco] locato *MS.*

omnium ; ergo si hec virtus naturalis in loco esset, omnia ad celum moverentur. CONTRA: omne mobile motu naturali quanto magis appropinquat loco naturali tanto velocius movetur ; hec autem velocitas non causatur a mobili, quia mobile longe a loco et prope locum existens equaliter moveretur, ergo causatur a loco, ergo loco inest hujusmodi potentia naturalis activa. Queratur ergo per quam naturam insit hec potentia vel natura ipsi loco, et etiam a quo insit. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod loco debetur hujusmodi potentia vel natura activa, et inest ei per naturam sibi consitam a creante, quia locus est mensura conservationis sicut tempus durationis. Unde ⟨nota⟩ quod de loco est loqui multipliciter, quia duplex est ejus natura ; quedam quantitativa, alia qualitativa ; hec autem potentia vel natura debetur ei non ratione quantitative, scilicet secundum quod est ultimum vel terminus et superficies, set ratione qualitative ; unde locata moventur ad loca, non ut in loco contineantur, set ut in loco conserventur. Set NOTA quod naturalis potentia movendi multiplex est ; una est motiva inclinans ipsum mobile ad movendum ad locum proprium et naturalem. Et hec est duplex ; quedam est effectiva, et hec debetur mobili ; alia est superficialis, et hec debetur loco. Alia est naturalis potentia activa, et hec debetur locato. Ad primam rationem, dicendum quod duplex est finis ; quidam est qui nichil est in actu ante operationem et motum eorum que ad se, et hic solum movet secundum methaphoram, et sic non est locus finis locatorum ; alius est finis qui ante operationem et motum eorum que sunt ad finem est aliquid ⟨et hic⟩ potest movere secundum veritatem, et hujusmodi finis est locus. Ad secundam, dicendum quod virtus et potentia loci manet corrupto corpore locato, et non simpliciter vel universaliter, quia sic non maneret locus, set corrupto hoc corpore locato vel illo, non tamen manet, corrupto corpore locante.

1 loco] locus *MS.* 4 non] que *MS.* 5 prope] proprio *MS.* 12 sicut] et *MS.* 15–16 *post* quantitative *add.* unde locata *MS.* 17 set ratione] *iter. MS.* moventur] movetur *MS.* 24 locato] loco *MS.* 25 qui] que *MS.* 33 maneret] manēre *MS.*

Ad tertiam, dicendum quod virtus naturalis que inclinat mobile, hec non excedit, set potentia attractiva excedit. Propter quod NOTA quod duplex est potentia loco sita; quedam est attractiva similium locatorum ; alia est expulsiva dissimilium locatorum. Ad .4. dicendum quod celum dicitur esse locus communis omnium, tam gravium quam levium, et non conservans vel influens in eo quod hujusmodi sunt ; set centrum est locus influens et conservans gravium locatorum et non continens, orizon autem est locus levium continens, influens, et conservans: nec sunt plures loci quam isti duo.

Quarto QUERITUR utrum locus habeat trinam dimentionem. Videtur quod non: locus est ultimus terminus corporis continentis; set ultimus terminus corporis est superficies, hec autem non habet trinam dimentionem, set unam tantum, ⟨ergo⟩ etc. AD IDEM: quidquid est in loco est in aliqua differentia loci ; set differentie loci non habent trinam dimentionem ut sursum, deorsum, ante, retro, et hujusmodi, quia termini sunt loci, et omnis terminus in quantum terminus indivisibilis est, ergo etc. CONTRA: scribitur *in litera* locus adequatur locato; set locatum trinam habet dimentionem, ergo etc. Propter quod

Secundo circa hoc QUERITUR utrum dimentio loci sit eadem cum dimentione corporis. Et videtur quod sic: locus est ultimus terminus corporis; set non est alia dimentio termini et illius cujus est, ergo eadem est dimentio loci et corporis. AD IDEM: etiam si dimentiones loci et corporis sint differentes, tunc due dimentiones et etiam duo corpora erunt in eodem; quod est inconveniens. CONTRA: mobilis et inmobilis alia est dimentio; set omne corpus mobile, locus item inmobilis, ergo etc. Ad majorem explanationem predictorum cum hiis

Tertio QUERITUR utrum dimentio loci sit continua cum ⟨illa⟩ corporis. Videtur quod sic: locus est magnitudo, ut scribitur *in litera*; set magnitudo est quid continuum, ergo locus et sua dimentio continua erunt. CONTRA: continua sunt, quorum est eadem materia per unam formam continuata,

16 etc.] et illud *MS.* 35 ergo] *iter. MS.* 36 erunt] erit *MS.*

et etiam quorum est unus motus; locus et corpus locatum non sic se habent, ergo etc. SOLUTIO: Ad primam questionem istarum trium, dicendum quod duplex est locus; quidam locans, et hic est substantia in eo quod per materiam et formam determinatur, quantitas autem prout trinam habet dimensionem, ut est aer vel terra, et hic locus non adequatur locato, set excedit; alius est locus quo locans locat, et hic est superficies nec habet trinam dimentionem, set est una dimensio, et hic locus locato adequatur, nec excedit nec exceditur, sicut est concava superficies ignis in qua aer collocatur, et sic de aliis. Ad secundam questionem, dicendum quod dimensio loci non est alia a dimentione corporis locantis, set alia est a dimentione corporis locati. Ad ter- f. 20 a 2. tiam questionem, dicendum quod | dimensio loci corpori locanti continua ⟨est⟩, set corpori locato non est continua, set solum contigua. Per hec solvuntur objecta.

QUERITUR hic primo utrum locus sit separabilis a locatis, sicut dicitur *in litera*. Videtur quod non: omne spatium vel dimentio a corporibus ⟨separata⟩ est vacuum; set idem est locus separatus a locatis et spatium vel dimentio a corporibus ⟨separata⟩, ergo si hec esset, vacuum esset: quod est inconveniens. AD IDEM: passiones non sunt separabiles a subjectis; set locus passio est corporum locatorum, quia quantitas est, ergo etc. AD IDEM: si locus esset separatum vel separabile a locatis, ergo corpus posset esse sine loco: quod est contra hoc quod dicitur *in litera*, scilicet quod omne corpus in loco et in omni loco corpus. CONTRA: quod nichil est rei, a re potest separari; set locus nichil est locati corporis, ut scribitur *in litera*, ergo etc. Gratia hujus

Secundo QUERITUR utrum tempus sit separabile a locatis, scilicet temporalibus, sicut locus a locatis. Et videtur quod sic: per locum a simili, quia sicut unum est mensura, sic et alterum. AD IDEM: locus est causa conservationis, tempus

9, 12 dimensio] dimensitio *MS.* 14 dimensio] ductus *MS.* 17 separabilis] separabile *MS.* 20 separatus] separatum *MS.* 31 scilicet] sicut *MS.*

autem corruptionis ; set conservatio ⟨tam⟩ essentialiter est rei quam corruptio, ergo tempus multo magis est separabile a re quam mensurat quam locus. CONTRA: omne quod excedit ⟨et⟩ continet quodlibet et comprehendit nec ab aliquo exceditur, a nullo separatur ; set tempus omnia temporalia excedit et continet, nec ab aliquo exceditur, ergo etc. SOLUTIO : ad istam questionem secundam, primo dicendum quod locus est mensura conservationis hujus vel illius, et ita particularis, et propter hoc a re potest separari ; set tempus est mensura durationis et universalis omnia excedens, et propter hoc a nullo est separabilis. Per hec solvitur ratio prima, quia quamvis utrumque sit mensura, non tamen eodem modo, et propter hoc non est simile. Ad secundam, dicendum quod conservatio et corruptio non sunt cause separationis mensure a mensurato, set universalitas vel particularitas mensure, ut dictum est. Ad primam questionem, dicendum diligenter attendendo quod locus non dicitur separari a locatis quia eis defficiat, set quia locata ei deficiunt. NOTA etiam quod locus non dicitur separari a locatis simpliciter et universaliter ita quod ab omnibus, set particulariter, scilicet ab hiis vel ab illis, et non ab omnibus. NOTA iterum quod locus, etsi sit a locato separatus, nunquam tamen separatus invenitur, quia sic esset vacuum et frustra, et ociosus esset locus: quod est inconveniens. NOTA iterum quod locus et locata corpora recipit non propter sui indigentiam, set propter indigentiam corporum locatorum ; attende igitur quod locus non indiget locatis propter sue substantie indigentiam, set propter congruentiam nature ; sed locata loco indigent propter sue substantie indigentiam et conservationem. Per hoc solvitur ratio prima. Ad secundam, dicendum quod duplex est passio ; quedam que ab intra causatur in subjecto et provenit a principiis ipsius, ut albedo et hujusmodi, et talis passio non est separabilis ; alia est que ab extra provenit in subjecto, et hujusmodi est separabilis, ut locus. Ad tertiam, dicendum quod corpus separatum vel abjectum a loco alium locum subintrat, et ita non est corpus sine loco nec locus

23 tamen] tantum *MS.* 27 attende] attendo *MS.*

sine corpore, quia abeundo corpore locum subintrat aliud corpus.

Tertio QUERITUR utrum locus sit corpus. Videtur quod sic: scribitur *in litera* quod locus adequatur locato, ergo cum locatum sit corpus, similiter locus erit corpus, aliter equalia esse non possent. AD IDEM: scribitur *in litera* quod locus trinam habet dimentionem; set omne tale corpus, ergo etc. ⟨CONTRA⟩: si esset corpus, tunc duo corpora essent in eodem, scilicet ipse locus et corpus locatum. Propter quod cum hoc

Quarto QUERITUR utrum possibile sit duo corpora esse in eodem loco. Et videtur quod sic: quia .4. elementa sunt in loco in quo est mixtum; set mixtum aliquod, ut planta vel animal, est in uno loco, ergo etc. AD IDEM: vas plenum cinere vel farina tantum recipit de aqua quantum reciperet si non esset ibi cinis vel farina vel parum minus, ut patet in experimento; ergo cinis vel farina et aqua in eodem loco erunt. CONTRA: locus adequatur locato; ergo si duo corpora essent in eodem loco, tunc duo corpora adequarentur uni, quia locus equalis est corpori locato prius replenti; similiter si adveniret aliud corpus, tunc locus idem locis adequaretur, ergo illa duo corpora uni illorum duorum essent equalia: quod est inconveniens, et majora sunt duo quam unum illorum. AD IDEM: unum corpus in diversis locis vel duobus esse non potest; ergo e contrario duo corpora vel diversa non erunt in uno loco. SOLUTIO: ad precedentem questionem dicendum quod dupliciter dicitur ⟨locus⟩: uno modo sumitur pro corpore locante, et sic est corpus; alio modo pro ultimo corporis locantis vel continentis, et sic non est corpus. Per hoc solvuntur rationes: quia prime procedunt de loco prout sumitur pro corpore locante. NOTA tamen quod locus non adequatur locato in essendo vel in substantia ita quod si fiunt in eodem genere ⟨sint⟩, ut scilicet unum sit corpus, et reliquum; set dicitur esse ista adequatio in extentione et magnitudine. Ad aliam questionem, dicendum quod duo corpora esse in eodem loco hoc est dupliciter; uno modo in eodem loco communi,

15 quantum] quam *MS.* 21 adveniret] adveniet *MS.*

ut in domo vel vico, et | sic non est inconveniens; alio modo f. 20 b 1. in eodem loco proprio et adequato. Et hoc dupliciter; uno modo ita quod unum sit in loco primo et per se, reliqum autem per se et non primo, et sic non est inconveniens; et hoc modo totum vel pars in eodem loco, set totum per se et primo, pars autem per se et non primo; alio modo dicitur duo corpora esse in eodem loco ita quod ambo primo et per se. Et hoc dupliciter; quia aut illa corpora sunt sub suis actibus incompletis, et sic non est inconveniens, et hoc modo elementa sunt in mixto uno; aut sunt sub suis actibus completis. Et hoc dupliciter; aut unum cedit alteri, et sic est possibile, unde in eodem loco dicuntur esse, non quia simul actu sunt in eodem, set quia unum intrat locum in quo erat alterum; aut unum non cedit alteri, et sic est inconveniens duo corpora simul et semel unum locum proprium replere. Per hoc solvitur ratio prima. Ad secundam similiter patet solutio quia partes cineris per adventum aque comprimuntur et aer intermedius expellitur, et ideo minorem locum obtinent quam prius; unde fit commixtio ex aqua humidi et cinere sicca.

Quinto QUERITUR utrum punctus sit locus. Et videtur quod sic: scribitur *in litera* quod loci ultimus ⟨terminus⟩ est immobilis; set punctus est immobilis, scribitur enim in .6. *hujus* quod omne mobile partibile, ergo punctus est locus. AD IDEM: quod est ultimus terminus corporis est locus; set punctus est hujusmodi, ergo etc. Major patet per diffinitionem loci *in litera*, que est 'locus est ultimus terminus corporis continentis inmobilis'; minor patet quia partes corporis ad superficiem, superficies ad lineam, linea ad punctum terminatur. CONTRA: quod est locus est partibile, quia locus est quantitas; punctus non est partibilis, ergo etc.

Sexto QUERITUR utrum punctus sit in loco. Videtur quod non: si est in loco, aut est in loco divisibili aut indivisibili: non est in loco divisibili, quia locus adequatur locato, ergo punctus esset divisibilis sicut suus locus; non est in

14 alteri] alterum *MS.* 17 comprimuntur] comprimitur *MS.* 20 sicca] sicia *MS.* 23 est[1]] esse *MS.*

indivisibili, quia tunc duo indivisibilia conjuncta et tangentia essent: quod est inconveniens, ut scribitur .5. *hujus*. CONTRA: quod est substantia posita est in loco; punctus est hujusmodi, ut scribitur primo *Posteriorum*, ergo etc.

Septimo QUERITUR utrum punctus differat a loco. Et videtur quod sic: intelligentia simplicior est puncto; set intelligentia existens in loco differt a loco, ergo multo fortius punctus. Major patet quia intelligentia, ut scribitur in *De Causis*, nec est divisibilis nec est etiam principium et radix divisibilium, set punctus etsi sit indivisibilis, principium tamen est divisibilium, scilicet continuorum; minor patet quia intelligentia mota existens in oriente, mota in occidente vel e contrario, non est idem cum oriente et occidente. CONTRA: que differunt adinvicem sunt actu entia; set punctus non est ens actu secundum philosophos, set tantum potentia, ergo punctus non differt a loco. SOLUTIO: ad primam questionem istarum trium, scilicet .5., dicendum quod punctus non est locus nec e contrario. Ad primam rationem, dicendum quod esse ultimus terminus corporis hoc est dupliciter; uno modo in ratione termini dimensionum, et sic locus est ultimus terminus corporis; alio modo in ratione dimensionum, et sic punctus. Ad secundam, dicendum quod esse mobile hoc est dupliciter; uno modo per se, et ⟨sic⟩ punctus non est mobilis set inmobilis; alio modo per accidens, et sic punctus est mobilis, scilicet ad motum corporis ejus status. Vel dicendum, sicut dicitur *in litera*, quod locus qui est locus tantum, ut centrum vel circumferentia, est inmobilis ⟨non⟩ tamen locus ut vas: unde locus qui est locus tantum levium semper est sursum, et gravium semper deorsum, et inmobiles sunt ab illa parte mundi in qua sunt, set loca que sunt ut vasa corpora mundi continentia, ut partes aeris vel aque vel alterius elementi vel alicujus vasis, mobilia sunt ⟨in⟩ quantum vasa, etsi non in quantum loca; quia locus in eo quod locus continet et terminat et est terminus locati, set terminus in eo quod terminus non movetur, set simul tenet se cum eo

5 punctus] puncti *MS*. loco] puncto *MS*. 31 sunt [2]] fiunt *MS*.
32 vasa] casa *MS*.

quod terminat; set locus in eo quod vas potest moveri, est enim hoc modo quoddam corpus, et omne corpus mobile. Ad .6. questionem, dicendum quod esse in loco hoc est dupliciter; uno modo per se, et sic punctus non est in loco; alio modo per accidens, et sic est in loco, quia ubi est corpus ibi est ultimum corporis, quod est punctus. Prima ratio procedit de eo quod est in loco per se. Ad rationem contrariam, dicendum quod habere positionem hoc est tripliciter; uno modo secundum situm et naturalem ordinationem partium in toto, et hoc modo sunt partes in toto; secundo modo per coartationem et determinationem ejus ad quod est, vel cujus est, vel in quo est, ut punctus in corpore quod terminat, et hiis duobus ⟨modis⟩ quod habet positionem non est per se in loco; tertio modo dicitur aliquid habere positionem, scilicet situm et ordinem in loco, et sic habent ipsa locata. Unde primo modo habens positionem est sicut pars in toto; secundo modo, sicut terminus in terminato; tertio modo sicut locatum | in loco. Ad .7. f. 20 b 2.
questionem, dicendum quod eo modo quo habet locum, illo modo differt a loco. Unde concedendum est quod completa differentia non differt a loco, cum sit ens in potentia, nec habeat locum per se. Ad rationem contra hoc, dicendum quod non est simile de puncto et intelligentia, quia intelligentia est ens actu et punctus est ens in potentia solum; item intelligentia non est ⟨in⟩ illo per circumscriptionem sicut corpus per quod punctus est in loco.

Octavo QUERITUR utrum locus sit finis corporum mobilium. Et videtur quod sic: omne quod est terminus inclusionis et motus corporum mobilium debet dici finis; locus est hujusmodi, ergo etc. Utraque est de se evidens. ⟨CONTRA⟩: finis movet secundum methaphoram, ut scribitur primo *De Generatione*, set locus movet secundum veritatem, ut patet de loco deorsum qui gravia ad se attrahit, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod locus non est finis motus corporis intra, imo forma vel perfectio, set est finis extra. Ratio contra hoc solvitur per predicta. Vel potest dici quod locus non est finis, quia non est aliquid rei, ut dicitur

1 moveri] movere *MS*. 18 locatum] locaum *MS*.

in litera. Ad rationem contrariam, dicendum quod omnis finis est terminus, set omnis terminus non est finis, quia finis est terminus, addito hoc quod est optimum, secundum quod dicitur *in secundo*, cum poeta mortem eis et finem: set hoc non est optimum, propter hoc non est finis, etsi sit terminus. Vel dicendum quod locus non ratione qua locus est terminus corporum motorum, set per materiam a suo creatore inditam.

Nono QUERITUR utrum locus sit materia, sicut quidam physici ponebant. Et videtur quod sic: omne quod est receptibile vel receptivum plurium contrarietatum vicissim, manens unum et idem, est materia; locus est hujusmodi, ergo etc. Major patet quia proprium est materie plures contrarietates formarum recipere; minor patet quia locus plures differentias et contrarietates corporum recipit. AD IDEM: quod habet proprietatem materie est materia; locus est hujusmodi, ergo etc. Major patet quia proprium non separatur ab eo cujus est proprium; minor patet quia proprium est materie suscipere, et sic ipsi loco. CONTRA: materia est pars rei et non continet, set continetur; set locus nichil est rei quam et continet, ut scribitur *in litera*, ergo locus non est materia. QUOD CONCEDO: unde materia idem est quod est ens in potentia, locus autem est ens actu. Ad primam rationem, dicendum quod aliquid est receptaculum aliquorum tripliciter; uno modo propter sui incompletionem et ut ab eis que recipit perficiatur, et sic materia receptaculum est formarum; secundo modo est aliquid receptaculum aliquorum tanquam ea per que in esse proprio dignoscitur, et hoc modo subjectum recipit accidentia; tertio modo per indeterminationem et indifferentiam non tanquam ea a quibus recipiat conservationem, set quibus influat conservationem, et sic locus receptibilis est locatorum. Per hoc solvitur secunda.

Decimo QUERITUR utrum locus sit forma, sicut quidam possuerunt. Et videtur quod sic: scribitur .4. *De Celo et Mundo* quod quantum unumquodque habet de loco, tantum de forma, et etiam ⟨quod⟩ locus est forma, et etiam quod

4 cum] contra *MS.* 7 a suo creatore] ad suum creatorem *MS.* 20 quam] quod *MS.* 30 ea] et hoc modo ea *MS.*

motus ad locum motus est ad formam, ergo locus est forma per istas auctoritates. AD IDEM: contrarietas proprie est formarum, quia forma distinguit et separat; set prima contrarietas est secundum locum, que est sursum et deorsum, ergo locus erit forma et etiam prima. AD IDEM: quod habet proprias proprietates forme forma est; locus est hujusmodi, ergo etc. Major patet de se, quia proprie passiones non sunt in suis subjectis; minor patet quia locus continet, conservat, et terminat, que sunt proprie proprietates forme. CONTRA: forma non est separabilis a re, re manente; set locus est separabilis a locato, locato manente, ergo. QUOD CONCEDO: unde forma dat esse et locus conservationem ipsius esse. Ad primam rationem, dicendum quod per hujusmodi auctoritates non intelligitur quod sit forma formaliter, set per has quod secundum quod corpus majorem habet extensionem et expansionem, secundum hoc magis habet de specie vel forma; unde secundum loci extensionem habet locatum de forma vel specie; unde illa elementa que locum majorem optinent, magis habent de forma vel specie et minus de materia, ut superiora ut ignis et aer, inferiora scilicet aqua et terra e contrario. Vel dicendum quod triplex est motus ad locum; quidam est ad locum propter locum, sicut partes celi moventur ad partem orientalem vel dextram in qua motor celi maxime dignoscitur, et talis motus non est forma nec causa forme; secundo modo est motus ad locum propter aliquid existens in loco per applicationem acquisibile, ut animal movetur ad locum propter nutrimentum quod ibi est, et hic non est forma nec causa forme; tertio modo est motus ad locum propter aliquid acquisitum in eo per generationem, ⟨ut⟩ vapores moventur ad locum sursum, ex quibus cum pervenerint generantur impressiones, et hic motus ad locum est motus ad formam et causa forme, nec distinguitur ex opposito contra motum ad formam. Ad secundam, dicendum quod duplex est contrarietas; diversarum substantiarum mundi, et hec debetur loco; | alia est contrarietas formarum acti- f. 21 a 1
varum et passivarum, et hec debetur forme. Ad tertiam,

18 extensionem] existentiam *MS*. 27 acquisibile] acquisibilem *MS*.

dicendum quod forma continens est conservans et terminans intra, set locus extra. Set NOTA ulterius quod locus per relationem ad continens intra est, set extra per comparationem ad contentum; et hoc modo dicitur esse locus, et non primo, ut postmodum videbitur.

QUERITUR hic specialiter de proprietatibus loci. Est igitur prima questio utrum locus sit aliquid rei: dicit *in litera* quod non. Et videtur quod sic: quod est conservatio rei et in genere eodem cum ipsa est aliquid ipsius rei; locus est conservatio rei locate et in eodem genere cum illa, ergo etc. Major patet de se; minor etiam patet quod locus conservat locatum et etiam est in eodem genere, quia mensura est illius; set scribitur in .9. *Methaphysice* quod mensura et mensuratum sunt in eodem genere. CONTRA: quod est aliquid rei inseparabile est a re manente; set locus separabilis est a re manente, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de loco loqui est dupliciter; uno modo prout comparatur ad continens vel locans, et sic est aliquid ejus quia terminus; alio modo prout comparatur ad contentum vel locatum. Et hoc dupliciter; quia uno modo dicitur aliquid esse aliquid rei quia de integritate et compositione rei, et sic locus nichil est rei locate; alio modo ratione virtutis infusse, et sic locus est aliquid locati. Per hoc solvuntur rationes.

Secundo QUERITUR utrum locus sit major vel minor locato: dicit *in litera* quod non. Et videtur quod sic: capitulo *de infinito* ⟨dicitur⟩ quod idem est locus partis et totius; set si hoc esset verum, tunc pars et totum loco adequarentur, quia locus adequatur locato; set 'quecumque uni et eidem sunt equalia . . .', ergo pars equalis esset toti: quod est inconveniens. AD IDEM: scribitur in *De Celo et Mundo* quod superiora elementa loca sunt inferiorum; set superiora majora sunt inferioribus, ergo etc. CONTRA: si locus sit major locato, ergo aliqua pars loci erit vacua; si sit minor, ergo aliqua pars corporis erit sine loco: quorum utrumque est inconveniens. SOLUTIO: ad hoc dicendum

quod de loco dupliciter est loqui; uno modo prout sumitur pro corpore locante, et hic locus major est locato; alio modo pro ultimo locantis, scilicet quo locans locat, et hic non est nec major nec minor, set equalis. Propter quod NOTA quod duplex est locus; quidam est qui attrahit locatum et ei influit conservationem et sui motus inclinationem terminat, et hoc per naturam qualitativam, et hic non est continens nec locato adequatur, set est minor; et hujusmodi locus est centrum, et de hoc dicitur in *De Celo et Mundo* quod idem est locus terre et unius glebe; alius est locus continens et hoc per naturam quantitativam. Et hic duplex, ut dictum est modo; quidam locans, et hic semper major locato; quidam quo locans locat, et hic semper equalis. Per hoc solvuntur rationes.

Tertio QUERITUR utrum locus defficiat locatis: dicit quod non. Videtur quod sic: esse prius potest manere sine posteriori et ei defficere; set locus prior est locatis, ergo etc. AD IDEM: omne separabile a re potest ei defficere; set scribitur *in litera* quod locus est separabilis, ergo etc. CONTRA: omnis res causata habet esse in ordine et distinctionem et divisionem ponit, res autem adinvicem distincte sunt; set ordo habet esse sub ratione prioris et posterioris, continere et contineri, ergo nulli rei defficiet locus qui rationem ordinis obtinet. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod duplex est locus; quidam est qui est locus tantum, et hic indeficiens est et conservationem prebet locato, et si defficeret omnia defficient: unde indeficiens est locanti vel continenti quia terminus est indeficiens, similiter rei locate quia conservat, tamen ab extra; alius est locus et vas simul, et hic potest deficere. Unde NOTA quod loci duplex est natura; una per quam continet, et quantum ad hoc potest deficere locato; alia est attrahere, et sic indefficiens est locato a parte sui, tamen a parte rei locate potest deficere, non a parte sui et primo vel per se, set per accidens. Per hoc solvuntur rationes.

Quarto QUERITUR utrum locus sit illud cujus sunt hee

2 major] majus *MS.* 5 qui] quod *MS.* 20 distinctionem] distinctio *MS.* 23 defficiet] defficiat *MS.* 24 ordinis] ordines *MS.* 34 set] et *MS.*

differentie 'sursum' et 'deorsum', sicut dicit *in litera*. Videtur quod non: si in quolibet loco esset ponere sursum et deorsum, et omne mobile movetur ad locum, ergo quodlibet mobile movetur sursum et deorsum. AD IDEM: aliquid est ita grave quod nichil est in eo levitatis et leve inpermixtum, et hoc est grave absolutum, et hoc modo sursum et deorsum, quod sursum ut terra; similiter dicendum est de levi ut de igne, ergo si ista divisio vel differentia sit in mobilibus ad locum, istam eandem erit necessario reperire ita quod quidam locus sursum, ita quod non deorsum, et e contrario, ergo etc. CONTRA: scribitur *in litera* quod eedem sunt differentie positionis et loci; set sursum et deorsum sunt differentie positionis, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod locus hic non sumitur prout est natura vel essentia una et unita, set prout est natura per anologiam, scilicet secundum prius et posterius dicta, quia dicitur .2. *De Celo et Mundo* quod locus sursum prior est quam deorsum. Rationes autem prout est natura una vel essentia procedunt. Vel ad questionem dicendum quod de loco dupliciter est loqui; uno modo per compara-
f. 21 a 2. tionem ad continens | vel locans, et sic dicitur quod locus habet sursum et deorsum, quia omne continens, cum sit corpus, sursum habet et deorsum; alio modo per relationem ad contentum vel locatum: et sic procedunt rationes. Unde NOTA quod locus, ratione ejus quod est continere, potest habere sursum et deorsum, set ratione ejus quod est terminare, sursum est tantum ut orizon, vel deorsum tantum ut centrum.

Quinto QUERITUR utrum convenienter dicat auctor *in litera* cum dicit: 'locus est ad quem moventur corpora'. Et videtur quod non, imo deberet dicere 'locus est in quem moventur corpora': omne movens physice movet per contactum; ergo, cum locus qui est movens naturaliter fuerit unitus corporibus, magis debet esse ea movens quam prout est distans, quia ea corpora tunc contingit, ergo deberet

1 sicut] et omne mobile sicut *MS.* 5 levitatis] levita *MS.* 12 eedem] eadem *MS.* 26 quod] *iter. MS.* 30 quem] quam *MS.* 31 in] *iter. MS.*

dicere 'locus est in quem moventur corpora' et non 'ad quem'. AD IDEM: cum quies nobilior sit motu, quia finis est ejus, videtur quod deberet dicere 'locus est in quo corpora quiescunt', et non 'locus est ad quem corpora moventur'. CONTRA: natura semper apetit quod melius est et ad illud movetur, set conservatio et esse nobilior est quam corruptio et non-esse; set conservatio rei et sui esse est a loco, ergo corpora motu naturali ad locum movebuntur. Ad majorem explanationem questionis

Sexto QUERITUR de hoc quod dicit *in litera* quod non quereretur locus nisi esset motus. Videtur quod dicat falsum: motus celi causa est quietis terre et quies terre causa motus celi; quia omnis motus super aliquid stans fixum et inmobile fit, ergo locus magis debet queri propter quietem quam propter motum. CONTRA: prima operatio nature motus est, quia si a contrario in contrarium, et ita per motum; set locus debetur naturalibus quia naturalia sunt et a natura dicta, ergo locus debetur propter motum. SOLUTIO: ad precedentem questionem dicendum quod duplex est natura loci; quedam quantitativa per quam continet et ambit, et sic est locus illud in quo corpora quiescunt; alia qualitativa per quam attrahit, et sic est locus ad quem corpora moventur. Unde NOTA ulterius quod locus attrahit locatum, attractum retinet, retentum continet, contentum conservat, et quia attrahere prius est quam alia, et quantum ad hoc non sunt corpora in loco, set ad ipsum moventur. Propter hoc signanter dicitur 'locus est ad quem corpora moventur', et per hoc intelliguntur alia que secuntur scilicet 'locus est in quo corpora conservantur vel quiescunt', et hujusmodi. Ad subsequentem questionem, notandum quod in mobili duo sunt; unum est sua inclinatio ad locum, aliud est sua substantia; similiter in loco duo sunt hiis duobus respondentia; unum est attrahere, respondens inclinationi mobilis, aliud est continere, respondens substantie. Et quia attrahere precedit conti-

1 in] in quam *MS.* 3 deberet] deberetur *MS.* 4 et] quod *MS.* quem] quam *MS.* 10 Sexto] Octavo *MS.* 11 motus] *iter. MS.* 34 continere] contine *MS.*

nere, et inclinatio mobilis vel motus ad ipsum locum prius est quam existentia substantie mobilis in loco, propter hoc signanter dicitur quod locus queritur propter motum et hoc primo et initialiter, ex contingenti tamen et finaliter propter quietem. Ad primam rationem prioris questionis, dicendum quod duplex est movens; naturale quoddam inpellendo, et de hoc intelligitur major; aliud in attrahendo, et tale non movetur necessario per contactum. Ad secundam, solutum est in parte, quia motus in naturalibus precedit quietem. Unde nota; prius est motus gravium et levium quam quies eorum, tamen ⟨in⟩ exitu et creatione e contrario. Et NOTA quod locus secundum sui triplicem naturam tripliciter ad corpora se habet; locus enim quantum ad naturam attractivam dicitur esse illud ad quod corpora moventur; quantum ad naturam expulsivam dicitur esse illud a quo corpora moventur; set per naturam contentivam dicitur esse illud in quo corpora quiescunt. Rationes alterius questionis solvuntur per predicta.

QUERITUR hic de quiditate loci, scilicet quid est locus. Est igitur prima questio: utrum locus sit superficies. Et videtur quod non: quia locus est una species quantitatis ex opposito diversa contra superficiem, ut patet in libro *Predicamentorum*. AD IDEM: superficies est aliquid rei; set locus nichil est rei, ergo etc. CONTRA: locus est ultimus terminus corporis continentis; set superficies est hujusmodi, ergo etc. Gratia hujus

Secundo QUERITUR utrum locus addat aliquid supra superficiem. Videtur quod non: locus dicitur ratione qua locat; set locus locat per suum ultimum, suum autem ultimum superficies est, ergo locus ratione superficiei locat et locus dicitur, ergo ratio loci supra superficiem nichil addit. CONTRA: locus ex opposito contra superficiem dividitur, ergo supra superficiem aliquid addit. AD IDEM: locus ratione qua locat dicitur locus, locus autem locat per suum ultimum, suum autem ultimum superficies; set non locat per ipsam superficiem in eo quod superficies, scilicet in eo

quod convexa atque latitudinem habens et longitudinem, set in eo quod concava, ergo ratio locandi supra superficiem aliquid addit. ⟨SOLUTIO⟩: ad primam istarum questionum dicendum quod duplex est locus: quidam est locus locans, et hic est corpus; alius est quo locans locat, et hoc est ultimum corporis | locantis. Hoc autem ultimum ad f. 21 b 1 duo comparatur: uno modo ad locantem, et sic est superficies, alio modo ad locatum, et sic dicitur locus. Notandum igitur quod idem est locus et superficies, set sub diversa ratione relationis vel comparationis. Set CONTRA hoc potest obici: que sola relatione et comparatione differunt non differunt specie et substantia, ut Sor sedens et Sor stans; set locus et superficies sola relatione et comparatione differunt, ut dictum ⟨est⟩, ergo substantia et specie non differunt: quod falsum est, quia diverse sunt species quantitatis. Ad quod diligenter notandum, quod major propositio veritatem habet in substantia, in accidentibus tamen falsa est. Hujus autem causa est quia essentiale est accidenti inherere, cum per se non existat, et ita essentiale est ei habere comparationem et relationem ad subjectum cui inheret; set substantie relatio ⟨et⟩ comparatio ad aliud accidentalis est, quia substantia est quod vere est et per sua principia intrinseca existit. Quapropter diversa ⟨relatio⟩ vel comparatio in accidente diversitatem causat in forma vel specie, ex quo diversa comparatione vel relatione accidentis ad substantiam diversa predicamenta oriuntur; sic autem non est in substantia ratione predicta. Ad secundam questionem notandum quod locus addit supra superficiem nomen mensure et continentie extra; unde ultimum corporis, ut locus est, extra mensurat et ut superficies intra: unde sola ratione mensurandi differunt. Set hec ratio mensurandi essentialis est quantitati, et propter hoc secundum istam diversam rationem diverse sunt species quantitatis. Per hoc solvuntur objecta.

Tertio QUERITUR utrum partes corporis et loci ad eundem terminum communem copulentur. Et videtur quod non: scribitur .5. *Physicorum* 'continua sunt quorum terminus

19 inherere] inhere *MS.*

unus'; set locus et locatum non sunt continua, ergo eorum non est terminus unus, ergo etc. AD IDEM: quorum sunt diverse magnitudines, eorum sunt termini diversi; set loci et locati, continentis et contenti, sunt magnitudines diverse, ut manus et pomi, ergo etc. CONTRA: in tangente et tangibili aliqua est communis natura per quam se tangunt adinvicem; set locus tangit locatum, ergo eorum est aliqua natura communis vel terminus, ergo etc.

Quarto QUERITUR quid sit ille terminus. Quod hoc non sit superficies videtur: quia alia est superficies loci continentis et locati contenti, ut manus et pomi. AD IDEM: ille terminus communis debet esse utrique equaliter; set superficies non est equaliter loci et locati. CONTRA: particule corporis et loci, ratione qua locus locat locatum, ad aliquem terminum communem copulantur; set superficies est illud quo locans locat locatum, ergo superficies est terminus communis ad quem partes loci et corporis locati copulantur. Major patet quia locans ratione qua locat terminat locatum, unde ista se ad invicem contingunt et ita ad aliquem ⟨terminum⟩ communem ipsis copulantur; minor patet ⟨per⟩ predicta. AD IDEM: ultimum corporis continentis et contenti est terminus communis, in quo se contingunt et ad quem eorum particule copulantur; set superficies est ultimum, ut visum est prius, ergo etc. QUOD ⟨punctus⟩ sit hujusmodi terminus communis videtur: ille terminus communis ad quem partes continentis et contenti, loci vel locati copulantur ultimum est in corporibus; set punctus in omnibus corporibus et continuis ultimum est et ultimus terminus: unde corpus ad superficiem, et superficies ad lineam, linea ad punctum terminatur, ergo punctus erit hujusmodi terminus communis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod terminus communis ad quem partes corporis vel loci copulantur dicitur dupliciter; uno modo unitate essentie et unitionis, et sic non est unus terminus communis hujusmodi; alio modo unitate contactus, et sic unus est terminus istorum in quem se tangunt, ut statim videbitur. Per hec solvuntur rationes questionis. ⟨Ad⟩ objecta tamen ulterius

7 tangit] tanguit *MS.* 32 communis] communis dicitur *MS.*

⟨dicendum⟩ quod esse terminum corporis dupliciter est; uno modo corporis continentis et loci, et sic idem est terminus unitate essentie et unitionis solum per proximum et remotum, inmediatum et mediatum, differens, et sic hujusmodi terminus est linea vel punctus; alio modo corporis contenti et loci, et hoc modo non est unus terminus unitate essentie, set unitate contactus, et sic superficies. Unde superficies corporis continentis unus est terminus communis ad quem partes corporis vel locati et loci vel continentis copulantur et hoc non unitive, set diversa ratione et in quantum se tangunt. Unde ut iste terminus communis, qui est superficies, refertur ad continentem, intra est; ut autem ad contentum, extra. Per hoc solvuntur rationes. Ad illam tamen que probabat de puncto, dicendum quod quamvis punctus sit ultimus terminus continuorum in existendo, non tamen ratione mensurandi, et de hoc termino erat questio. Notandum tamen hic, ut nos de hujusmodi termino communi aliquid ⟨non⟩ lateat, quod hujusmodi terminus communis, preter illum modum proprium qui dictus est, nomen termini extendendo dicitur tribus modis; uno modo vocatur hujusmodi terminus communis virtus naturalis que ipsis debetur, hec autem virtus differenter est loci et locati, quia loci ut attrahentis et locati ut inclinantis; secundo modo dicitur iste terminus communis conservatio utrique, scilicet loco et locato, conveniens, set differenter, quia loci est vel continentis ut influentis, locati autem vel contenti ut recipientis; | tertio modo dicitur quidam contactus mutuus f. 21 b 2. loci et locati, continentis et contenti, ex duabus superficiebus adinvicem concurrentibus proveniens.

Quinto QUERITUR utrum locus sit spacium a corporibus separatum medium inter extrema continentis et contenti: probat enim *in litera* quod non. Et ⟨videtur⟩ quod immo: quicquid est in potentia ad unum contrariorum est in potentia ad alterum; set locus est in potentia ad plenum, ergo locus erit in potentia ad vacuum; set si est in potentia ad vacuum non erit corpus nec aliquid corpori conjuncto, set erit spacium medium a corporibus separatum. Major patet quia

23 locati[2]] locat *MS.* inclinantis] inclinans *MS.*

contraria habent fieri circa idem, ut dicitur in libro *Peryhermenias* et *Topicorum*: minor patet quia locus est quid plenum, quia, ut dicitur *in litera*, non est locus sine corpore nec e contrario. AD IDEM: omne quod est indifferens ad receptionem aliquorum et est differens ab illis per essentiam est ab illis separabile; locus est indifferens ad receptionem corporum diversorum et differt ab illis per essentiam, ergo erit quid separatum ab illis vel separabile, et ita erit spacium medium separatum, cum non sit aliquid aliud convenientius assignare. CONTRA: partes corporis et loci ad eundem terminum communem copulantur, ut dictum est, inde sic arguo: quorumcumque est idem terminus, necesse est illa se tangere; set corporis et loci est terminus unus, ergo illa se contangunt; set inter contangentia nichil est medium, ergo locus non est medium spacium a corporibus separatum.

Cui questioni addimus, utrum sequitur: 'si locus esset spatium a corporibus separatum, quod loci essent infiniti', sicut dicit *in litera*. Hoc autem non sequitur, si locus sit ultimus terminus corporis continentis, que est positio auctoris. Et videtur quod secundum istam positionem sint loci infiniti, sicut secundum aliam. Ad illud quod 'locus est spatium' etc., scribitur quod locus adequatur locato; set locatum divisibile in infinitum, cum sit corpus, ergo locus divisibilis est in infinitum, ergo loci erunt infiniti secundum opinionem auctoris. CONTRA: quod, secundum opinionem ponentium locum esse spacium medium separatum a corporibus, sint loci infiniti videtur: quia si locus esset spatium a corporibus separatum medium inter ipsa, ipsum est vacuum; set vacuum nulla est natura, ergo que est comparatio totius corporis ad locum, eadem est partium omnium ipsius corporis ad ipsum locum, cum locus non sit natura vel res aliqua secundum hanc positionem; ergo eque primo et essentialiter erunt in loco totius corporis, sicut est ipsum totum corpus, ergo cum partes sint infinite in quolibet corpore locato, cum sit quid continuum, loca ipsis infinitis partibus respondentia erunt

10 convenientius] convenientis *MS.*

infinita. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod locus non est 'spatium separatum a corporibus' etc., sicut probat ultima ratio questionis, et si esset hoc, loci essent infiniti, sicut probat ultima ratio annexi. Unde in loco est aliqua natura qua est continuum, per quam debetur toti et per totum partibus. Ad primam rationem principalis questionis, dicendum quod major intelligenda est de eis contrariis, quorum utrumque est natura aliqua. Ad secundam, dicendum quod aliquid dicitur separatum vel separabile ab altero dupliciter; uno modo in essentia, et sic locus separabile vel separatum a locatis, et sic procedit ratio; alio modo secundum positionem, et sic non est locus separatum a locatis, set hoc modo adequatur locus locato: si autem primo modo intelligatur, ipsa potest habere veritatem. Vel dicendum quod esse separatum a corporibus, hoc est dupliciter, uno modo a corporibus locatis hiis vel illis, et hoc modo locus potest esse separatum a corporibus; alio modo ⟨a⟩ corporibus locantibus, et hoc modo locum a corporibus separari non est possibile. Per hoc ad objectum annexi contingit respondere.

Sexto QUERITUR utrum locus fuerit ante constitutionem mundi. Et videtur quod sic: omne finitum terminatum, omnia corpora sunt finita, ergo terminata; set quod est terminatum per aliquid aliud est terminatum, ergo corpora per aliquid aliud sunt terminata; non nisi per locum, ergo necessario ante mundi constitutionem et corporum productionem fuit ponere locum qui esset terminus illorum: quia si diceretur quod unum terminaret aliud, sic esset abire in infinitum in generatis corporibus, quod est inconveniens. AD IDEM: cum celum sit factum vel generatum, quia non est eternum, ante ejus generationem vel productionem fuit locus ejus in quo est generatum, quia sine loco non est generatum, cum generatio sit motus quidam et motus non fiat in vacuo, ergo locus fuit ante celi generationem et mundi constitutionem. CONTRA: scribitur *in litera* quod non queritur locus nisi propter motum; set ante mundi constitutionem non fuit motus, ergo necque

10 dupliciter] duplius *MS.*

locus. QUOD CONCEDO: unde exitu et tempore simul fuerunt corpora mundi et locus; tamen corpora natura fuerunt loco ⟨prima⟩, quia locus, cum sit quantitas, est accidens corporis. Unde prius sunt res in se quam in ordine; set ut sunt in ordine, debetur eis locus, unde locus cum ipsis corporibus coexivit. Ad primam rationem, dicendum quod major est falsa, quia finito accidit esse terminatum, unde finitum est ens in se et absolute, set terminatum dicit relationem ad aliud. Vel dicendum quod si esset vera, scilicet quod omne finitum sit terminatum, non tamen sequitur quod hoc sit per aliud, quia prima f. 22 a 1. corpora ut celum seipsis | finita sunt et terminata. Ad secundam, dicendum quod celum non est generatum vel factum generatione naturali vel physica, et hoc modo procedit ratio, set generatione creabili que idem est quod creatio.

Septimo QUERITUR utrum locus sit immobilis, sicut dicitur in ejus diffinitione et probatur. Et videtur quod non, immo quod sit mobilis: omne generabile et corruptibile est mobile; set locus est generabile et corruptibile, ergo est mobilis. Major patet quia generatio et corruptio sunt quidam motus; minor patet quia ex quo locus est ultimum corporis, corrupto corpore vel generato, corrumpitur locus vel generatur. AD IDEM: quod movetur ad motum alterius est mobile; locus est hujusmodi, ergo etc. Minor patet quia locus est ultimus terminus corporis continentis, et ita moto corpore continente movetur ejus ultimus terminus, qui est locus. CONTRA: duo sunt loca secundum Aristotelem in .2. *Celi et Mundi*, scilicet centrum et orizon, inde sic: omne quod ⟨est⟩ sustinens omnem motum et transmutationem est immobile; set centrum est hujusmodi, qui est quidam locus, ut scribitur in eodem, scilicet in .2. *Celi et Mundi*, ergo etc. AD IDEM: si locatum est immobile, et locus qui est ultimum ejus; set terra est immobilis, ut scribitur in .2. *Celi et Mundi*, ergo locus ejus erit immobilis. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod triplex est locus; unus est locus qui est locus tantum. Et hic est duplex; unus est medium distantie vel situs, et

29 orizon] orizan *MS.*

hic est medium mundi, et hic est centrum quod est locus deorsum attrahens et conservans, est locus gravium circa quod gravissimum corporum locatur, quod est terra, unde dicendum est medium terre et medium mundi; aliud est medium nature, scilicet locus sursum attrahens et conservans levium, et hic est locus ignis, quod est levissimum corporum recte mobilium, et hic est orizon, et hic locus est concava superficies orbis lunaris qui est infimus respectu orbium aliorum, et dicitur medium nature quia inter duas naturas diversas situatur, scilicet inter naturam celestem que immobilis est ad formam et naturam elementarem, que etsi non secundum se totam, tamen secundum partes mobilis, generabilis, et corruptibilis: hic autem locus duplex, qui terminans est et influens omnino, scilicet per se et per accidens, est immobilis. Set CONTRA hoc potest sic obici: in omnibus conditionibus in quibus creator creature comparatur, creator creaturam in infinitum excellit; cum ergo creator immobilis sit et similiter iste locus, creator verius magis et purius erit immobilis quam iste locus; si igitur creator nullo modo mobilis ⟨est⟩, iste locus aliquo modo mobilis erit. Ad hoc dicendum per simile in intelligentia: creator enim duratione ex parte principii intelligentiam omnino excellit, set non in duratione a parte finis. De hujusmodi enim duratione est loqui dupliciter; uno modo quantum ad substantiam durationis, et sic creator intelligentiam non excellit, quia sicut non desinet creator sic nec intelligentia, tamen ipsa intelligentia cepit; alio modo quantum ad simplicitatem celsitudinis durationis, et sic creator intelligentiam in infinitum ⟨excellit⟩, quia hujusmodi durationem habet primum a se, imo ipse est sua duratio; intelligentia autem non a se, set a voluntate creantis. Similiter de isto loco dicendum, quia etsi utroque modo sit immobilis sicut creator, ipse tamen nomen inmobilitatis nobiliori modo in infinitum obtinet, quia a seipso, set ipse locus ab influentia ipsius creatoris. Secundus locus est qui est vas tantum ut cifus vel olla continens vinum vel aquam, de quo notandum

22 duratione] divine *MS.* principii] primi *MS.* 22, 26 excellit] exellit *MS.* 30 ipse] ipso *MS.* duratio] duratione *MS.*

quod hujusmodi locus dictus dicitur vas tantum et non locus proprie loquendo, quia loci proprie dicti duplex est conditio vel proprietas; una terminare inclusionem locati ad locum naturaliter mobilis, et hec est conditio nobilior et essentialis; alia est continere locatum, et hec est minus nobilis, quia magis accidentalis quam naturalis; hanc autem conditionem viliorem retinet vas et non primam, et propter hoc dicitur non esse locus. Unde ⟨quod⟩ pars aque vel terre naturaliter deorsum descendat, hoc essentiale est et naturale ipsi centro, cum sit quid ponderosum vel grave; set quod in cifo vel aliquo alio vase cadat, hoc accidentale est ipsi vasi. Hic autem locus omnino mobilis est, scilicet per se et per accidens, quia corpus est. Tertius est locus qui est vas et locus, et hic duplex est; quidam est magis locus quam vas, et hic est ultimus terminus corporis continentis, ut ultimum ignis quod est locus aeris, et ultimum aeris locus aque. Hujusmodi autem utramque conditionem loci ⟨retinens principaliter a nobiliori denominatur, scilicet ab hoc quod est terminare vel conservare; idcirco dicitur magis locus quam vas; et hic immobilis est per se, cum non sit corpus, set terminus corporis, mobilis autem per accidens, scilicet per motum ejus cujus est terminus, scilicet corporis. Alius est locus e contrario, scilicet magis vas quam locus, et hujusmodi non est vere proprie locus, et propter hoc sic vocatur: unde etsi quodammodo utramque conditionem vel proprietatem retineat, non tamen immobiliter, et quiete, quod est natura loci et ratio proprie | f. 22 a 2. dicti, unde in hujusmodi loco non quiescit locatum, set nichil in loco proprie dicitur esse nisi quod in loco quiescat. Et hic est triplex; quidam est qui conservatur locato, et hoc modo fluvius dicitur esse locus navis mote in fluvio; secundus est qui circumfertur locato, et hoc modo aer dicitur esse locus turris circa eam motus; tertius est locus hujusmodi in quo per motum locati nova est semper continentia ipsius locati ab hujusmodi loco, et hoc ⟨modo⟩ aer per quem homo movetur ad domum dicitur esse locus ejus. Propter quod notandum quod totus fluvius magis dicitur

5 nobilis] mobilis *MS.* 9 hoc] hic *MS.* 32 turris] turre *MS.* 36 totus fluvius] totos fluvios *MS.*

esse locus navis quam pars fluvii: ratio est, quia extra totum fluvium non fertur nec pertransit; set totus aer magis dicitur esse locus turris vel hominis quam pars ratione predicta. Hujusmodi autem triplex locus per se mobilis est, cum sit quoddam corpus, immobilis et per accidens: potest tamen dici immobilis in eo quod est quodammodo terminans locatum. Unde ⟨est⟩ quod omnis terminus in eo quod terminus indivisibilis est, et omne indivisibile immobile, et ita omnis locus in eo quod hujusmodi immobilis, et hoc modo fere intellexit auctor. Per hoc solvuntur rationes. Per hec loci diffinitio explanatur, que est 'locus est ultimus terminus corporis immobilis primum, id est immediate'.

Queritur hic de vacuo. Est igitur questio utrum vacuum sit. Et videtur quod sic: materia denudata et separata ab omnibus formis non est aliquid ens actu, set solum illud quod est ens in potentia; set ipsa sub hoc sensu vacua est et etiam fundamentum nature; in natura ⟨ergo⟩ vel in fundamento nature erit vacuum ponere, scilicet hujusmodi materiam. Ad idem: vacuum nichil aliud est quam spacium corporibus privatum in quo scilicet omnino nullum est corpus; set extra celum hujusmodi est reperire, quia ibi nullum est corpus, ergo vacuum erit extra celum. Ad idem: hujus mundi causata sunt sub determinato et diverso modo et distantia; set distantia corporum ab invicem non potest esse per plenum, quia plenum non est causa distantie, set potius convenientie et adunationis, ergo hujusmodi distantia erit per vacuum, ergo vacuum erit. Contra: nichil quod est privatio et inordinatio naturalium rerum est necessarium in natura; vacuum est ⟨hujusmodi⟩, ergo etc.; set per illud est novum in natura, quia in natura nichil est otiosum vel frustra, ergo etc. Major ⟨patet⟩ quia natura semper appetit quod melius est et ita ordinationem que melior est, quia finita et causata, quam inordinationem; minor patet quia scribitur *in litera*

1 ratio] magna *MS.* 18 vacuum] vacum *MS.* 24 diverso] divers *MS.* ab] ad *MS.* 34 quia] quia non est quia *MS.* 34 inordinationem] inordinatio *MS.*

quod vacuum, si esset, infinitum esset, et ita careret primo et ultimo, et ita inordinatum ⟨esset⟩. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod vacuum dicitur multipliciter. Uno modo est vacuum quod ⟨est⟩ spacium vel dimensio a corporibus separata et etiam corporum receptiva, sicut posuerunt quidam philosophorum; et hoc modo non est vacuum, sicut *in litera* probatur. Secundo modo dicitur vacuum quoddam infusum et inbibitum corporibus, quod est receptivum nutrimenti et necessariorum corporis, et hoc modo possuerunt quidam vacuum esse, et provenire ex separatione superfluorum a corpore, ut sudoris, sanguinis, et urine; loca enim istorum dixerunt esse vacua, hiis remotis, et ibi dixerunt recipi nutrimentum; et hoc modo non est vacuum, unde hujusmodi opinio *in litera* reprobatur. Tertio modo dicitur vacuum spatium in quo omnino nullum corpus est, nec est aptum natum ad aliquod corpus recipiendum; et hoc modo est ponere, scilicet extra celum. .4. modo dicitur vacuum locus vel spatium in quo nullum est corpus sensibile, set aliquo corpore insensibili est repletum; et hoc modo vas in quo non est aqua vel aliquod corpus sensibile, set solum aer, dicitur vacuum. .5. modo dicitur vacuum natura aliqua seu radix et fundamentum quod est in potentia ad susceptionem plurium formarum, nullam tamen actu suscipiens secundum quod hujusmodi; et hoc modo materia prima secundum se et quantum ad essentiam suam dicitur vacua, et hoc modo vacuum non est ponere impossibile, set necessarium. Per hoc due prime rationes dissolvuntur. Ad tertiam rationem, notandum quod triplex ⟨est⟩ distantia corporum; una est per suas magnitudines et formas; secunda est per sua principia, que sunt materia et forma; tertia est distantia vel diversitas corporum per suas qualitates, activas et passivas. Et ita patet quod multis aliis modis est distantia corporum quam per plenum
f. 22 b 1. et vacuum. Unde ratio ab in|sufficienti procedebat.

1 careret] carent *MS.* 4 est] non est *MS.* dimensio] dimensi *MS.* 11 sudoris] soderis *MS.* 20 repletum] repertum *MS.* 21 aer] aere *MS.* 25 quantum] quam *MS.* 29 corporum] corporuum *MS.* 34 procedebat] procebat *MS.*

Secundo QUERITUR de clepsedra, gratia hujus quod dicit *in litera* quod quidam per simile in clepsedris vacuum non esse ostendebant. Set primo notandum quod clepsedrarum due sint significationes: uno modo dicitur clepsedra illud parvum foramen quod fit in dolio juxta magnum foramen per quod reponitur vinum ad hoc ut vapores ex humido vini elevati a calore naturali, quando digestio vini celebratur, ne dolium frangatur, exire valeant, et hoc est quando vinum novum est vel etiam quando mucceratum est et convenitur in dolio, non totaliter repleto: et etiam illud quo illud foramen repletur clepsedra dicitur. Alio modo clepsedra idem est quod quoddam vas habens foramen unum vel orificium in parte superiori et in inferiori habens .7. foramina illo foramine superiore minora; et de clepsedra in hac significatione ad presens hic intendimus. Est igitur circa ⟨hoc⟩ prima questio de hoc quod notum est experimento, quod supposito digito orificio superiori clepsedre, aqua in ea existens non movebitur deorsum per foramina parva, set stabit; si removeatur digitus, statim aqua descendet et depluet ab ea. QUOD igitur aqua propter suppositionem digiti non stet in ea vel quiescat, videtur: omne grave, reperto medio conveniente sui motus, naturaliter et semper deorsum movetur; aqua in clepsedra est hujusmodi, quia reperit foramina in quibus non nisi aer per quem teneri potest, ergo aqua in clepsedra naturaliter vel semper deorsum movetur vel deorsum ⟨cadit⟩, et non stat vel quiescit. AD IDEM: istius status vel quietis causa est non nichil, quia nichil nullius est causa, ergo aliquid vel ens: si aliquid, ergo aer vel aqua; non aqua, quia aqua quantum est de se naturaliter descendit; non aer, quia aer movetur super aquam, cum sit levior ipsa. Cum igitur non ⟨sit⟩ invenire aliquid aliud quod sit causa hujusmodi status, et hec non possint causa esse, manifestum est quod aqua in

2 clepsedris] clepsedeis *MS.* 3, 4 clepsedrarum] clepsedum *MS* 4 due] duas *MS.* 7 calore] calori *MS.* 8 exire] exuo *MS.* 8, 9 quando] quare *MS.* 10 non] non dolio non *MS.* 13 parte] partes *MS.* 19 stabit] stalis *MS.* 26–7 quiescit] quiescat *MS.* 28 nichil] nuchil *MS.* 31 super] preportet *MS.* 32 invenire] imonire *MS.* 33 quod] et *MS*

clepsedra existens superposito digito ibi non stabit, set descendet, cum non habeant causam ; non digitus est causa, cum sit a parte superiori et aqua intendat naturaliter movere a parte inferiori. QUOD amoto digito aqua non debeat defluere a clepsedra et descendere videtur : aqua existens in clepsedra, digito apposito vel remoto, solo accidente vel alteratione differt ; set digito apposito clepsedre, est aqua inmobilis et stans ; ergo similiter, remoto digito, immobilis remanebit : quod confirmatur per hoc quod digitus non est in illa parte per quam moveri intendebat. AD IDEM : remota clepsedra dolii vinum sursum ascendet vel, si non sit ibi evaporatio aliqua, quiescit ; ergo a simili, remoto digito a clepsedra, aut retinebitur aqua sursum aut quiescet. Hujus gratia

Ex incidenti queruntur tria : primum est quare vinum novum, scilicet quando in eo celebratur digestio, si removeatur clepsedra dolii, movetur sursum, et nisi removeatur frangeretur dolium, cum vinum sit quid grave, et omne grave naturaliter tendit deorsum. Secundum est de hoc quod quando vinum digestum est et mucceratum ; si fuerit commotum, si removeatur et apperiatur clepsedra, movetur sursum, vel si non removeatur frangitur dolium, et de hoc dolio non totaliter repleto vino ; si autem quiescat dolium et vinum, si removeatur clepsedra, non propter hoc sursum moveatur, set quiescat. Tertium est quare hoc est quod vino tenendo et appetendo propter aliquam causarum moveri sursum, si fiat foramen deorsum in dolio et percutiatur dolium, statim vinum a suo motu cessabit et quiescit. Hec autem omnia experimento nota sunt. SOLUTIO : ad questionem principalem, notandum quod status vel quietis aque in clepsedra digito supposito triplex est causa ; una est foraminum inferiorum parvitas sive gracilitas, si enim majora foramina essent, descenderet aqua per ipsa ; secunda causa est aer ingrediens vel subintrans hujusmodi foramina parva, qui propter sui humidum hujusmodi aquam defert,

7 clepsedre] clepsede *MS.* 9 confirmatur] conformatur *MS* 10 quam] quem *MS.* 14 quiescet] quiescat *MS.* 18 cum] quod *MS.* 21 removeatur] removeat *MS.* 22 frangitur] franguitur *MS.*

portat, et retinet, et hee sunt cause efficientes; tertia est causa finalis que est ordinatio corporum universi et mundi machine congruentia, scilicet ne sit vacuum, quod est causa inordinationis et corruptionis rerum, ut inferius videbitur. Ex quo patet quod omnes iste .3. cause in unam coincidunt et unam constituunt; scilicet ne sit | vacuum. Aqua enim f. 22 b tam parva foramina defluens, pertransiens, et descendens, partibus ipsius aeris non posset cedere propter sui pressionem et constrictionem in hujusmodi loco parvo, et ita aer non posset intrare et pervenire ⟨ad⟩ locum clepsedre a quo aqua recedit, et ita hujusmodi locus vacuus remaneret: quod est impossibile, cum ipse aer propter suppositionem digiti a parte superiori intrare non possit. Per hoc patet quare si removeatur digitus fluat aqua a clepsedra : hoc enim est propter gravitatem aque se inclinantem deorsum, et etiam propter aera ingredientem locum a quo recedit, et replentem ipsum atque ipsam aquam deorsum coadjuvando et disponendo pellentem. Ad primam rationem, dicendum quod omne grave tendit et movetur naturaliter deorsum, nullo resistente et prohibente; set aliqua sunt prohibitiva hujusmodi motus deorsum, ut visum est: natura enim appetit semper quod melius; set melius est et minus inconveniens grave sursum, aliquo susportante et resistente, sistere quam vacuum esse, quia omnem ordinationem nature destrueret. Ad secundam rationem, dicendum quod de aere et aqua dupliciter est loqui; uno modo in locis propriis, et sic aer non susportat aquam; alio modo in locis alienis, et sic aer potest aquam existentem in loco alieno susportare, et hoc ut majus inconveniens evitetur. Ad primam rationem sequentem quod si removeatur digitus non stabit, cum suus motor intra, qui est gravitas, remoto digito ipsam naturaliter deorsum inclinat et movet; tamen digito apposito hoc

2 universi] unius *MS.* 3 machine] machino *MS.* 6 constituunt] constitunt *MS.* 10 intrare] ponere *MS.* 11 vacuus] vacus *MS.* 13 intrare] intrante *MS.* 18 pellentem] pollentem *MS.* 19 quod] *iter. MS.* omne] esse *MS.* tendit] tangunt *MS.* 20 resistente] resistendo *MS.* 21 prohibitiva] proflutiva *MS.* 23 aliquo] aliqua *MS.* 25 destrueret] destruerat *MS.* 30 sequentem] efintem *MS.* non stabit] substantialiter *MS.*

fieret, non tamen propter causam predictam. Ad secundam, dicendum quod non est simile de aqua et de vino quod actu digeritur vel movetur, quia calidum est naturaliter et siccum, et ita causa ebullitionis vel evaporationis; aqua autem frigida et humida propter ejus essentiam. Ad primum annexum, dicendum quod vinum quando novum est et in eo celebratur digestio, tunc calor naturalis ipsius vini ipsum, in quo est aliquid de humido, evaporat et inflamatur; hujusmodi autem fumi et vapores propter sui flecci-bilitatem et levitatem sursum nituntur ascendere: quod nisi aperiatur clepsedra, per quam clepsedram ascendunt, dolium frangunt: unde accidit quod ⟨si⟩ removetur clepsedra fit ex vehementi motu hujusmodi vaporum et vini secum delati quidam sonus in suo exitu; unde causa, si diu permanere potest clepsedra in dolio, quod, cum removetur, totum vel major pars a dolio exiret, nisi parvitas clepsedre resisteret. Per hoc solvitur ad secundam annexam, quia vinum digestum vel mucceratum, si non conmoveatur calor naturalis in eo existens ⟨et⟩ a nullo exitetur, nec evaporat vel inflatur, nec augmentatur in quantitate per subtilitatem vel rarefactionem, et ita quiescit nec movetur; set si vinum existens in dolio non totaliter repleto conmoveatur, tunc quod est in ipso de humido vaporat et inflatur per calorem naturalem a motu exitatum et subtiliatur et rarefit, et ita majorem locum ocupat et sursum tendit, et etiam ipse aer existens in dolio in parte vacua de vino incendendo, illo calido exitante, subtilius ⟨fit⟩ et inflatur et ita sursum tendit, et ita vinum tum propter sui vaporationem et inflationem, tum propter aeris in dolio secum existentis ab hujusmodi calore subtilitatem et rarefactionem reperto foramine sursum movetur vel dolium frangit. Unde dicit Aristoteles in tertio *Celi et Mundi* quod humiditas quando evaporat et inflatur, vas continens ipsam scinditur pro-

3 et] hec *MS.* 16 exiret] exipiet *MS.* clepsedre] clepeside *MS.* 17 resisteret] resistaret *MS.* 19 exitetur] exitatur *MS.* 20, 23, 27, 29, 33, 8 (*p.* 203) inflatur *etc.*] inflamatur *etc. MS.* 21 rarefactionem] rafactionem *MS.* quiescit] quiesciet *MS.* 24 calorem] colorem *MS.* rarefit] arefit *MS.* 30 calore] colore *MS.* subtilitatem] subtilitate *MS.* rarefactionem] rarefactione *MS.*

pter constrictionem suam a sua amplitudine, et est simile de aqua ebulliente igni supposita. Alia autem est causa fractionis dolii, scilicet fluxus et deperditio substantie vini: quando enim defluit aliquid de vino et deperitur, tunc quandoque aer non potest dolium intrare, clepsedra apposita, et ita oportet quod sit vacuum in dolio aut dolium frangetur. Set NOTA quod non semper propter hujusmodi evaporationem et aeris inflationem movetur vinum sursum, quia quandoque aer in dolio per clepsedram vincit motum vini sursum et hujusmodi calorem temperat, et sic non movetur vinum sursum; aliter autem de vino evaporante et conmovente: per calorem vincitur et sic sursum movetur, et hoc secundum plus et minus, secundum quod diutius clepsedra clauditur vel apperitur. Ad tertiam questionem annexam, primo notandum quod vinum naturaliter calidum est et siccum, et idcirco causa est ebullitionis et evaporationis, et ideo maxime digestivum; unde in calido ebullitionem quandam | agenerat et facit ascendere vapores: ex quo f. 2
homines dolent capite et ebrii fiunt: quia hujusmodi vapores ibi retinentur, eo quod cerebrum frigidum est et humidum. Similiter est de odoribus florum, quorum apprehentione homo in principio congaudet; quia calidi sunt et sicci, hujusmodi odores per calorem a corporibus odoriferis elevantur, set postmodum, si sit humidum, hujusmodi odores tunc adunantur et condensantur in cerebrum propter ejus frigiditatem: quia tunc dolet hominis cerebrum et quandoque accidit quod ex hoc appetitum cibi amittit nec potest comedere, eo quod repletum est hujusmodi odoribus. Dicendum est igitur quod cum vinum actu digeritur, in .3. partes dividitur et separatur, scilicet in subtiliorem, et hec sursum mittitur; et in mediocrem, et hec in medio consistit; et in grossiorem, et hec deorsum descendit. Unde institores ⟨et⟩ mercatores vini ad hoc ut melius et perfectius vinum cognoscant, gustant de vino in ista triplici parte ⟨qua⟩ extenditur, scilicet in parte superiori et inferiori

3 dolii] doli *MS.* 10 temperat] aparat *MS.* 19 capite] capita *MS.* 22 principio] principium *MS.* 25 odores] odorum *MS.* condensantur] condensatur *MS.* 26 dolet] doleret *MS.* hominis] homo *MS.* 27 cibi] cibi quod potest *MS* 33 mercatores] motatores *MS.*

et mediocri. Hec autem, scilicet mediocris pars vini, magis est temperata et ad nutrimentum conferens; pars autem grossior, que est inferius, magis complexionalis et maxime capiti nociva; pars autem subtilior, mediocriter. Sciendum igitur quod, dum celebratur digestio in vino, maximus fit motus; et propter hoc, si apponatur aliquid digestivum in vino ut fermentum, vel ponatur prope ignem, citius digeritur et fortiter movetur sursum, clepsedra remota, nec potest retardari motus ejus nisi ab extrinseco accurrente, et hoc erit percutiendo dolium in parte superiori sursum, ipsum retardabit; vel hoc erit, si fiant foramina in dolio deorsum: tunc vinum per naturam gravitatis sue deorsum ad illa movebitur et cessabit motus ipsius vini, ne in dolio sit vacuum. Propter quod NOTANDUM quod vinum, etsi sit debile, positum in dolio maxime solido, dum est dulce, scilicet antequam digeratur, ibi digeritur nichil conferente extrinseco nec prohibente nec existente nec intrante. Et propter hoc, quia vapores resoluti ab ipso per calorem naturalem non possunt exire nec aer humidus ad hujusmodi calorem temperandum intrare, ideo fortiter et cito movetur et dolium hic et illic pellit nisi maxime ligatum fuerit; idcirco est vinum quam essentialiter, quia nichil ex hujusmodi vaporibus potest exire, set totum remanet in vino. Hujusmodi enim vinum ex parte nutritibili multum est nocivum; unde quandoque accidit quod homo existens in loco ubi sunt multi ferrati, quorum digestio actu celebratur, ab aere infecto, corrumpto, et calefacto a subtilioribus vaporibus et fumationibus exeuntibus per poros doliorum suffocatur. Similiter est in hominis digestione attendendum: dum enim celebratur digestio nutrimenti in homine, in cujus partes, sicut dictum est de vino, separatur, et ad partes diversas vel membra corporis mittuntur et emittuntur superflua sicut in vino; quorum quidam sunt tam materiales

10 dolium] de quorum *MS.* 13 sue] sive *MS.* 14 ipsius] ipsi *MS.* 16 solido] polide *MS.* 27 celebratur] celebrata *MS.* aere] eera *MS.* 29 fumationibus] fumentibus *MS.* suffocatur] suffocantur *MS.*

et rudis complexionis qui hujusmodi ferratis comparantur, ut sunt ipsi melancolici in quibus dominatur ⟨humidum⟩, quod superflua non possunt emitti, qui quandoque accidit eis quod sunt in motu continue, nec possunt quiescere, et ex hoc quandoque moriuntur. Unde dicit Aristoteles quod carnis mollities, ossium durities, nervorum et venarum mediocris compago dispositiones et juvamentum sunt digestionis atque bone complexionis indicia.

Tertio QUERITUR utrum vas plenum cinere potest tantum recipere de aqua quantum posset si in eo nichil esset, sicut dicitur *in litera*. Et videtur quod non: aer subtilior est quam cinis, ergo in vase pleno aere plus intrat de aqua quam in vase pleno cinere; set in vase pleno aere, nisi removeatur aer, non potest aliquid de aqua intrare, ergo multofortius nec in vase pleno cinere. AD IDEM: aqua terree nature, et ita corpus corpulentum vel grossum, similiter aqua corpulentior est et grossior aliis duobus elementis a terra, scilicet igne et aere: si tantum intraret de aqua in vase repleto cinere quantum si in eo nichil esset, tunc duo corpora corpulenta maxime et grossa essent in uno et eodem loco, quod est inconveniens. CONTRA: duorum corporum, quorum unum alteri est cella, neutrum neutro est prohibitivum, set in eodem vase simul et semel esse possunt; set cinis et aqua sunt hujusmodi, ergo etc. QUOD CONCEDO unde cinis ab igne causatur: cineres enim reliquie sunt adustionis, et ideo calide fiunt et sicce, aqua vero frigida et humida, et ideo cinis ratione caliditatis sue evaporat aquam, ratione humidi calidum evaporat. ITEM: siccum cineris per frigidum aque comprimitur, et ita ex cinere et aqua naturali colligatione fit unum corpus condensatum, et in loco unius ambo existunt sic adinvicem colligata et mixta. Ad rationem primam, dicendum quod de aere vel | cinere dupliciter est loqui; uno modo secundum id quod sunt, et aer subtilior est quam cinis, et magis cedit; alio modo in comparatione et relatione ad aquam. Et hoc modo magis cedere dicitur dupliciter; uno modo quia citius et velocius, et sic aer citius et velocius cedit

1 comparantur] comparatur *MS.* 28 humidi] humidii *MS.*

aque; alio modo quia completius, et hoc modo cinis completius cedit aque, quia ex cinere et aqua fit unum corpus, ut dictum ⟨est⟩, set non ex aere et aqua. Ad secundam rationem ⟨dicendum⟩ quod de cinere dupliciter est loqui; uno modo prout est alicujus, scilicet combustibilis, et sic est nature terrestris; alio modo prout est ab aliquo, scilicet ab igne, et sic est nature ignee.

Quarto QUERITUR de hoc quod dicitur *in litera* quod augmentum fit nullo adveniente. Et videtur quod sit falsum: scribitur in primo *De Generatione* quod augmentum est pre-existentis magnitudinis additamentum, ergo augmentum est ex aliquo adveniente vel addito. AD IDEM: 'si oppositum in opposito, et propositum in proposito'; set diminutio fit per quandam ablationem vel remotionem, ergo augmentum fiet per additionem vel appositionem, cum hec opposita sint. CONTRA: scribitur ⟨quod⟩ cum ex aere fiunt aque, augmentantur aque, aque tamen nichil est additum, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod augmentum dupliciter fit; uno modo proprie, et sic fit per appositionem alicujus quod expoliatur a forma propria, et transmutatur in formam recipientis, et hoc modo fit in animatis, et hoc modo fit aliquo apposito vel adveniente ipsi animato sicut nutrimentum, et de hujusmodi loquitur primo *De Generatione*; secundo modo fit augmentum communiter et minus proprie, et hoc modo idem est quod crementum, et tale potest fieri nullo addito, et hoc est proprie in inanimatis, et de hoc loquitur *in litera*. Et hujusmodi est duplex: uno modo fit hujusmodi augmentum quod dicitur crementum per alterationem, et hoc modo aqua quando fit ex aere crescit; alio modo fit per extensionem et sic pellis extensa crescit. NOTA autem quod crementum fit per appositionem, quando ⟨quod⟩ apponitur sub forma propria remanet, ut si turris crescat per appositionem lapidum; set augmentum, ut visum est, est quando ⟨quod⟩ apponitur forma propria expoliatur, et ejus cui apponitur formam inducit, ut patet in nutrimento.

Quinto QUERITUR utrum augmentum fiat per vacuum.

17 fiunt] fit fit *MS*. 30 per] preter *MS*.

Et videtur quod sic: quia si nisi fieret, et transiret ad singula membra corporis rei alende, tunc duo corpora essent in eodem, quod est inconveniens, scilicet ipsum nutrimentum transiens et illud corpus quod esset in loco per quem transiret. AD IDEM: corpus quod augetur solidum et opacum, ut corpus hominis; set corpus hominis solidi non interest cedere alicui, ergo, nisi in corpore augmentando esset vacuum, non posset transire nec fieri augmentum, ergo etc. CONTRA: vacuum non est natura aliqua, nec habet differentias positionis, nec est corpus cui debeatur cessio, ergo per vacuum non fiet augmentum nec motus alius. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod nutrimentum in triplici potentia est; propinqua scilicet, remota, et remotissima. In remotissima potentia est quando est sub specie propria antequam conferatur animali in escam; in remota potentia est, quando jam adunatum et unitum est virtuti digestive et etiam digeritur; in proxima potentia est quando jam digestum est et in sanguinem convertitur. Et tunc tripliciter disponitur: primo enim fit scambium, et hoc est quando ad singulas partes corporis vel membra mittitur; secundo fit glutinum, et hoc est quando sanguis convertitur in partem membri cui mittitur; tertio fit ros, et hoc est quando rorificat membra: unde sicut aqua humectat pannum et condensat qui prius erat rarior, sic hujusmodi nutrimentum vel augmentum rorificat et condensat membra in quibus erit raritas et substantatio propter calorem digerentem et evaporantem humidum eorum, et ita patet quod non transit per vacuum hujusmodi nutrimentum; unde duo corpora remanentia sub actibus et formis propriis ⟨simul⟩ esse non ⟨possunt⟩, set ipsa mixta adinvicem et condensata in loco unius illorum vel in minore esse possunt. ITEM: corpus animalis porosum est nec utrobique solidum, et ita aer existens in vacuitatibus corporis animalis cedit nutrimento primo advenienti. Per hoc | solvuntur rationes. f. 2

Sexto QUERITUR utrum vacuum sit causa aliqua. Et

26 raritas] maritas *MS.* 31 minore] minorem *MS.* 34 nutrimento] nutriendo *MS.* 36 Sexto] Septimo *MS.*

videtur quod sic: cui debetur natura activa corporum, eidem debetur ratio causalitatis; vacuum est hujusmodi, ergo etc. Major patet de se; minor etiam apparet, quia ventossa vacua attrahit sanguinem et si non esset vacua non attraheret. CONTRA: vacuum nichil est, et nulla natura; quod est causa aliqua natura est, ergo vacuum non est causa. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod vacuum dicitur 5 modis, ut prius visum est, et ultimo modo causa proprie est, scilicet quod idem quod natura aliqua vel radix in potentia ad receptionem formarum, et hoc est materia, que rationem materialis causalitatis obtinet. Ad rationem, dicendum quod trahctio multipliciter fit; uno modo fit a forma vel specie consequente totam rei naturam, et sic adamas attrahit ferrum; alio modo fit a calido, et sic matrix sui caliditate attrahit sperma et sui caliditate disponit ad lineamentum partium spermatis sicut calor ignis ad frigiditatem ferri; tertio modo fit attractio propter incomplexionem aliquam, et hoc modo melencolici, qui stomacum habent frigidum propter sui incomplexionem, plus de cibo appetunt quam digerere possunt, hoc etiam modo mulier appetit virum et materia formam; .4. modo fit attractio a vacuo vel inani: hoc modo stomacum per calorem sui factum vacuum et inane ad sui refocillationem attrahit cibum; .5. modo fit attractio a vacuo, calore exitante et disponente, et hoc modo ventosa attrahit sanguinem: unde ibi ponuntur stupe ardentes, que in ventosa calorem aggenerant, quod aera intus inclusum calefacit, et ad sui conservationem humorem attrahit: humor enim nutrimentum est caloris, et ita patet quod nunquam a vacuo solummodo in eo quod sic fit attractio, set ab aliqua alia causa. Unde quod aqua in clepsedra attrahatur et retineatur digito sursum apposito, hoc non fit a vacuo, set ab ipsa natura et ordinatione corporum, scilicet aqua et aere, ne vacuum accidat, quod esset causa inordinationis eorum et corruptionis si accideret.

2 causalitatis] calitatis *MS.* 4 et si] et *MS.* 18 incomplexionem] incompletionem *MS.* 25 sanguinem] sangineum *MS.* 26 ardentes] andentes *MS.* 31–2 retineatur] retiatur *MS.*

Quesito de vacuo in se, scilicet quid sit, et quomodo ipsum ⟨sit causa⟩, de ipso in relatione ad motum restat inquirendum. Est igitur prima questio utrum in vacuo sit possibile motum fieri. Et videtur quod sic: motus est passio quedam fluens a motore supra mobile, et ita virtus motoris et mobilis cause sunt motus; set posito vacuo remanet virtus motoris et mobilis, ergo posito vel existente vacuo, poterit fieri motus et ita in vacuo possibile erit moveri. Ad idem: duo sunt, ut patet sensibiliter, que motum impediunt: unum est medium vel spatium in quo fit motus ⟨quod⟩ contrafertur mobili, ut patet de motu navis mote contra incessum aque, que de difficili movetur; aliud est quando medium vel spacium fit dencius, unde facilius fit motus in aere quam in aqua, et in aqua quam in terra; set vacuum nec contrafertur mobili nec est densum, ergo in ipso maxime fiet motus. Ad idem: motus maxime habet fieri in illo spacio vel medio quod maxime mobili cedit et quod de facili est divisibile; set vacuum ubique cedit mobili et de facili divisibile ⟨est⟩, quia rarissimum, ergo etc. Contra: omnis motus fit ad aliquam differentiam positionis; set in vacuo nulla est differentia positionis, quia non est natura, ergo etc. Propter quod

Secundo queritur utrum in vacuo possit fieri motus naturalis. Videtur quod non: omnis motus naturalis in principio tardior, in fine velocior; set in vacuo non potest fieri, quia vacuum nullam habet diversitatem, set equaliter cedit, ergo motus factus in vacuo equalis erit in fine et principio, ergo in vacuo non erit motus naturalis, cum ex veloci et tardo componatur. Ad idem: omnis motus naturalis determinate fit ad aliquam partem positionis; set posito mobili in vacuo non magis movetur ad unam partem quam ad aliam, quia vacuum equaliter cedit nec habet differentias positionis, ergo etc. Contra: omne leve vel grave existens extra locum proprium ad eundem natura movetur; ergo posita aliqua parte terre in spera ignis et aliqua parte ignis in terra, existente vacuo inter hec, scilicet

11 mote] messe *MS.* 13 fit[1]] fiunt *MS* aere] aera *MS.* 15 in ipso] ipsum *MS.* 35 spera] sper *MS.*

remotis aere et aqua, necessario ad sua loca propria et naturalia movebuntur, et ita motus naturalis erit in vacuo, scilicet ignis sursum, terre deorsum. AD IDEM: cum opposita habeant fieri circa idem, f. 23 b 2. | in quo est quies naturalis possibilis, in eodem possibilis est motus naturalis; set, sicut *in litera* innuitur, in vacuo possibilis est quies naturalis, ergo similiter et motus naturalis ibi erit possibilis. Cujus gratia.

Tertio QUERITUR utrum in vacuo possit fieri motus violentus. Et videtur quod sic: 'si oppositum in opposito, et propositum in proposito'; set in habentibus naturam possibilis est motus naturalis, ergo in non-habentibus naturam possibilis erit motus violentus, quia hec adinvicem opponuntur; set vacuum est non-habens naturam, quia non est natura aliqua, ergo etc. AD IDEM: differt motus naturalis a violento, quia naturalis velocior in fine et tardior in principio et est ab intra, violentus autem e contrario et est ab extra; set ita est quod in vacuo non est aliquid intra, quia nulla natura est; set est aliquid extra, quia omnia corpora ⟨sunt⟩, ergo in vacuo proprie et essentialiter habet motus violentus fieri. ITEM: motus factus in vacuo velocior est in principio et tardior in fine, quia quanto aliquod mobile a suo loco naturali plus recedit, tanto minus movetur, et quanto est in majori approximatione ad suum locum, tanto magis et velocius movetur, et hoc est in principio motus, ergo in vacuo, cum hujusmodi sunt proprietates motus violenti, fiet motus violentus. CONTRA: scribitur in *De Celo et Mundo* quod omne habens motum violentum habet motum naturalem; set in vacuo non est possibile fieri motum naturalem, ut per rationes precedentis ostenditur, ergo nec in vacuo erit motus violentus. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod in vacuo proprie dicto, quod est scilicet spatium vel locus omnino corpore privatum et separatum ab illo de quo hic intendimus, nullo modo est motum fieri, nec naturalem nec violentum: non naturalem, quia vacuum

1 necessario] necessaria *MS.* loca] locatio *MS.* 2 movebuntur] *MS. add.* deorsum 3 terre] terra *MS.* 15 in[2]] enim in *MS.* 18 nulla] *iter. MS.* extra] est *MS.* 22 loco] locu *MS.* 32 privatum] privato *MS.*

non habet differentias positionis. ITEM: scribitur in .3. *De Celo et Mundo* quod virtus naturalis non sufficit ad motum naturalem, set oportet esse medium in quo fiat motus, scilicet aliquod elementorum. Similiter in vacuo non fit motus violentus, quia virtus pellens, que moveat violentum, non sufficit sola ad motum violentum, set indiget ⟨habere⟩ partes pellentes, ut partes aeris vel aque, ut patet in motu lapidis sursum, qui absente pellente movetur a partibus aeris fortiter pulsatis; unde secundum majorem impulsionem vel minorem, major vel minor erit motus. Unde NOTANDUM quod motus ad .4. habet comparationem; uno modo comparatur ad motorem, a quo est effective; secundo modo ad illud in quo est, scilicet ad mobile, et quantum ad ista duo posset fieri motus in vacuo; tertio modo comparatur ad illud supra quod fit, scilicet ad spacium medium; .4. modo ad illud propter quod fit, scilicet ad terminum, et quantum ad hec duo non potest fieri in vacuo; et quia motus a motore et mobili non completur, set ab istis duobus, scilicet a termino et spatio, propter hoc simpliciter est concedendum quod non potest fieri in vacuo. Per hoc solvitur prima ratio prime questionis, quia ab insufficienti procedebat. ⟨Ad⟩ secundam, dicendum quod aliqua possunt retardare motum dupliciter; uno modo quod retardarent velocitatem motus, et hoc modo spacium medium contralatum vel densum retardant motum; alio modo quia motum omnino, scilicet totam substantiam motus, et hoc modo vacuum retardat motum quia totaliter prohibet moveri, ut visum est. Unde NOTA quod medium contralatum vel quod est densum confert ad motum, in tantum quod nisi haberet aliquam densitatem vel aliquo modo contraferretur, nec fieret motus: quia motus, vel id quod est, in successione est, successio autem indiget aliquo retardante, quia in hoc quod retardatur continuatur et plus durat, et ita motus retardante indiget ad hoc ut continuetur: nisi enim hoc esset, cito corrumperetur; unde hec retardatio conferentia est. Tamen

28 densum] densus *MS.* 29 haberet] haberent *MS.* 30 contraferretur] contraferietur *MS.* 32 indiget] indiget autem *MS.* 33 retardante] retardando *MS.*

posset esse tanta resistentia et retardatio quod posset fieri diu motus, set sic defficeret, et hoc vel propter medium nimis densum ut terra, vel propter medium fortiter contralatum et cum magno impetu, ut in aqua velociter manante. Unde hec ratio magis oppositum quam propositum ostendit. Ad tertiam rationem, dicendum quod cedere mobili hoc est dupliciter; uno modo in unam partem determinate, et hoc confert ad motum, et sic cedit aer vel aqua; alio modo in omnem partem nec determinate in aliquam, et hoc non confert ad motum, set motum omnino prohibet, et hoc modo cedit vacuum. Ad primam rationem secunde questionis, dicendum quod major est falsa, scilicet ⟨quod⟩ inter locum naturalem et ipsum mobile sit vacuum, ut inferius videbitur. Secunda ratio supponens quod in vacuo sit quies naturalis per sequentia dissolvetur. De hoc enim fiet immediate sequens questio. Ad primam rationem tertie questionis, dicendum quod consideratio intelligenda est de oppositis, quorum utrumque est natura aliqua; set vacuum non est aliqua natura. Vel dicendum quod non-habens naturam dupliciter est; uno modo non-habens naturam, scilicet nullomodo habens naturam, ita quod sit negatio extra genus nichil relinquens; alio modo aliquid indicando ita quod sit negatio in genere, scilicet non-habens hanc naturam vel illam, habens tamen aliquam. Similiter esse motum violentum dupliciter ⟨est⟩; uno modo violentum, id est, extra naturam quamlibet nichil relinquens; alio modo
f. 24 a 1. motum violentum qui est | extra hanc naturam vel illam, in aliqua tamen natura est. Dicendum igitur quod in ⟨non-⟩ habente naturam hanc vel illam, habente tamen aliquam, fit motus violentus non omnino extra naturam, set extra hanc vel illam, ut est in motu lapidis sursum; unde hanc naturam non habet, habet tamen aliquam. ITEM: motus sursum, qui motus est lapidis, non est extra omnem naturam, set extra naturam lapidis et gravium: duo autem membra combinari non possunt, scilicet quando est negatio extra genus nichil

2 sic] si *MS.* 3 densum] desensum *MS.* 21 nullomodo] nullo *MS.* 23 indicando] inclinando *MS.* 26 relinquens] relinquente *MS.* 33 lapidis] lapidi *MS.*

relinquens; et quia vacuum est non-habens naturam omnino, ideo in ipso non potest fieri motus violentus. Ad secundam, dicendum quod si in vacuo posset fieri motus, quod in illa ratione supponitur, ratio convenienter procederet; set sic non est, ⟨quia⟩ uno mobili pervento ad vacuum, cessat ejus motus, ut visum est. Ut igitur predicta evidentius appareant

Quarto QUERITUR utrum in vacuo possit esse quies alicujus mobilis. Videtur quod sic: omne mobile positum alicubi in quo ab omni parte equaliter attrahitur et quod in omni parte sibi equaliter cedit, aut ubique movetur aut quiescit: quia qua ratione moveretur in una parte, eadem in alia; set ita est de mobili posito in vacuo, ergo movetur ubique aut quiescit: non movetur ubique, quia ibi, ut vissum est, non est motus, ergo ibi quiescit. AD IDEM: scribitur .5. *hujus* quod quies est privatio motus; set habitus et privatio opposita immediata sunt, ergo cum motus non sit in vacuo quies erit in eodem. AD IDEM: scribitur .5. *hujus* quod quiescere est similiter se habere nunc et prius; set in vacuo nulla est dissimilitudo nec differentia aliqua, set sola similitudo, ergo in vacuo possibile erit quiescere. CONTRA: ubi non est motus ibi non est quies; set motus non est in vacuo, ergo nec quies. Major patet, quia quies est terminus motus, set ubi non est terminatum, ibi non est terminus, quia relativa sunt; minor patet per predicta. Propter hoc queritur utrum hujusmodi quies, que est in vacuo, debeat dici naturalis vel violenta. SOLUTIO: ad questionem principalem, dicendum quod quies dicitur dupliciter; uno modo est quies que est post motum, cujusmodi est terminus motus, et talis quies non est in vacuo; alio modo dicitur quies immobilitatio quedam, et hoc modo est ponere in vacuo quietem, id est, quandam immobilitationem propter rationem primam istius questionis. Ad annexam questionem, dicendum quod hujusmodi quies in vacuo violenta tantum erit et non-naturalis, quia in quo quiescit aliquid naturaliter, ad illud naturaliter movetur; set nichil, nec naturaliter nec violenter, ad vacuum movetur. Set CONTRA hoc potest

10 alicubi] alicui *MS*. quod] quid *MS*. 36 movetur] moventur *MS*

dici: ergo in vacuo erit motus violentus, ex quo ibi est quies violenta. Ad quod dicendum quod quies violenta quies est extra naturam, set extra naturam privatio est ejus quod ⟨non⟩ est secundum naturam nec sequitur regulam nature, et propter hoc, etsi omne illud quod quiescit natura in aliquo, ad eundem naturaliter movetur, non tamen omne quiescens alicubi violenter ad illud violenter movebitur. Vel potest solvi per solutionem questionis principalis, dicendo scilicet quod duplex est quies; una que est motus, et de hac procedit ratio; alia que est inclinatio quedam. ITEM: hujusmodi quies que est in vacuo violenta est quia est contra inclinationem ejus, et quiescit quia illud aut est grave et sic tendit deorsum, aut leve et sic sursum. Ut prius supposita verificentur

Quinto QUERITUR, vacuo existente inter terram et ignem, scilicet remotis aqua et aere, utrum aliqua pars terre gravis sursum posita deorsum descendet, et similiter de igne posito deorsum. Et quia ille eedem rationes que ad utramque partem prime questionis adducuntur, que est utrum motus possit esse in vacuo, circa istam questionem adduci possunt, ideo illas hic supponimus. Gratia hujus

Sexto QUERITUR si motus terre sursum fieret et ignis deorsum, vacuo existenti inter hec, utrum fieret subito vel successive. Quod fieret subito videtur: forma subito introducitur materie quando in materia nichil est resistens, set summe dispositive est; unde dicitur in *De Morte et Vita* quod mox cum potentia materie necesse est inesse contrarium, id est formam, ergo a simili, cum in vacuo nulla sit resistentia, ibi subito fiet motus. CONTRA: scribitur .5. *hujus* quod differunt mutatio et mutatum esse, unde mutatio terminus est motus; et etiam scribitur quod ante omne mutatum esse infinita sunt fieri, et hoc physice loquendo, quia ipsam creationem nullus motus precedit, ergo ante locum esse, esse infinita sunt fieri, ergo ante locum esse terre deorsum vel ignis sursum infinita sunt

5 quiescit] quiescat *MS.* 7 alicubi] alicui *MS.* 16 pars] parte *MS.* gravis] gravi *MS.* 18 eedem] eadem *MS.* 23 fieret] fit *MS.* 27 necesse] necessarie *MS.*

fieri; set hoc moveri in successione et tempore et non subito, ergo, si iste motus fiat, successive fiet. Ut autem | compleantur predicta f. 2

Septimo QUERITUR utrum terra et ignis possint esse in locis propriis in tanta distantia in qua nunc sunt, ⟨et⟩ remanere, existente vacuo inter ipsa. Et videtur quod sic: scribitur *in litera* quod duo sunt loca immobilia, centrum scilicet circa quod est terra, et orizon, ergo nec ignis nec terra, et si esset vacuum inter ipsa, movebuntur, set in locis propriis remanebunt. CONTRA: ignis et terra extrema sunt elementorum; set extrema relative dicuntur ad medium, unde si unum relativorum non est, nec reliquum, ergo si non sunt media, scilicet aer et aqua, non erunt extrema, scilicet ignis et terra. AD IDEM: posito uno contrariorum ponitur reliquum, dummodo sint natura aliqua, ergo terra, que a dominio sicca est, non potest esse nisi sit humidum a dominio quod est in aere; similiter calidum exellens quod est in igne, esse non potest nec manere nisi sit frigidum excellens quod ⟨est⟩ in aqua. SOLUTIO: ad primam questionem istarum trium, dicendum quod vacuo interposito omnino, nec ignis positus deorsum sursum moveretur nec terra deorsum: quamvis ibi sit motor intra, quod est gravitas terre et levitas ignis, et mobile, scilicet ipse ignis et ipsa terra, et terminus, scilicet sursum et deorsum, tamen deficit medium spacium quod confert ad motum et sine quo non est motus. Unde, si vacuum esset interpositum, non remanerent conditiones naturales nec ordo universi machine. Per hoc patet solutio secunde questionis, quia nec subito nec successive moverentur. Ad .2. rationes, dicendum quod procedunt supponendo motum esse in vacuo. Unde dicendum quod si esset motus in vacuo, subito esset. Ad rationem ostendentem quod successive, dicendum quod verum est quod motus vel mutatio sit in successione et tempore, loquendo de motu proprio vel mutatione, scilicet facto supra spacium corporale; set hujusmodi mutatio terre deorsum, per vacuum scilicet, supra spacium corporale non

1 fieri] ferri *MS.* 9 si] sic *MS.* 18 quod] quedam *MS.* 21 positus] ponitur *MS.* 26 si] scilicet *MS.* 36 supra] esset supra *MS.*

fieret. Unde NOTA quod nulla mutatio physica potest esse sine motu precedente; hec autem sola mutatio que est creatio sine motu fit. Ad tertiam questionem, dicendum quod ignis et terra, existente vacuo inter ipsa, non remanerent, quia deficerent conditiones nature et cessaret ordo rerum universi, et si remanerent, non tamen permanerent et durarent. Unde scribitur primo *Metheororum* quod nisi aer et aqua inter ignem et terram interponerentur, ignis cito terram desiccaret et corrumperetur. Ad rationem dicendum quod centrum et orizon, licet sunt inmobilia, similiter ignis et terra inmobilia sunt a suis locis propriis naturalibus, hoc est verum rebus existentibus, ut nunc, scilicet conditionibus et ordinatione nature suppositis: quod a vacuo prohibetur.

SCIENDUM TAMEN quod quidam de hujusmodi predictis questionibus contrarium opinantur, dicentes quod ⟨si⟩ ignis esset deorsum vel terra sursum, vacuo existente medio, ad loca propria moverentur, et hoc subito et in ipso tempore et non successive, ponentes etiam terram et ignem remanere, mediis non existentibus. Set contra hoc est auctoritas Aristotelis in .3. et .4. *Celi et Mundi*, dicentis quod virtus naturalis ad motum naturalem non sufficit, set alio, scilicet medio, indiget. Ad hoc dicunt quod moveri in vacuo hoc est dupliciter; uno modo quod inceptio motus fiat extra vacuum et etiam terminus, et sic potest vacuum transiri et in eo potest fieri motus; secundo modo dicitur fieri motus in vacuo ita quod illud quod movetur antequam incipiat moveri ponatur in vacuo, et hoc modo in vacuo non continguit moveri, et in hoc sensu intelligitur auctoritas Aristotelis .3. et .4. *Celi et Mundi*. Unde naturalis motus lapidis existentis in ignis spera remanet et directe ad centrum, etsi inter hec sit vacuum, et propter hoc lapis determinate movetur ad unam partem, scilicet directe ad centrum, quamvis vacuum, quantum est de se, ei equaliter et ubique cedat. Set CONTRA per predictam auctoritatem

8 inter] in illud *MS*. 13 ordinatione] ordinationem *MS*. 19 successive] successivo *MS*. 21 dicentis] dicentes *MS*. 30 motus] nichil *MS*. 31 ignis] igne *MS*. directe] lapide *MS*.

potest obici, quia etsi totus motus lapidis existentis in igne descendentis ad terram a virtute naturali omnino non causatur, quia in principio ab ipso igne in quo incipit, et in fine a terra ad quam terminatur, tamen hujusmodi motus naturalis post ingressum lapidis in vacuo, et ante exitum ejus ab eodem totaliter et omnino, ab ipso virtute naturali ipsius causabitur, cum ibi tunc non sit aliquid aliud reperire, et ita questio erit qualiter intelligendus ⟨sit⟩ sermo Aristotelis dicentis quod virtus naturalis non sufficit ad motum naturalem. Ad hoc dicunt quod hujusmodi auctoritas intelligenda est quantum ad continuationem facilitatem et manifestationem motus, et non quantum ad ejus existentiam: unde sine medio spacio existere posset, non tamen de facili, nec posset manifestari. Set CONTRA: omnis motus in fieri et ⟨cum⟩ successione est: in ista autem sunt prius et posterius, que a priori et posteriori in magnitudine oriuntur: unde scribitur, *capitulo de tempore*, quod prius et posterius in motu a priori et posteriori in magnitudine, scilicet a spacio supra quod fit, causatur. Unde | spacium magnitudo est a qua f. 2 est successio motus, et ita prius et posterius; set in vacuo non est magnitudo vel spacium aliquod corporale, ergo in ipso nullo modo existet motus. QUOD CONCEDIMUS.

7 reperire] recipere *MS*. 8 qualiter] utrum *MS*. 11 facilitatem] falcitatem *MS*.

DE TEMPORE

CIRCA naturam temporis processurus questio prima reseranda occurrit, que est utrum tempus sit. Videtur quod non: omne totum habens partes exigit ad hoc quod sit omnes ejus partes aut quasdam esse; set tempus est totum habens partes quarum nulla est, quia quod futurum est vel preteritum vel ex utroque mixtum sicut presens non est, ergo tempus non est. AD IDEM: tempus non est ens actu, quia actus est forma vel a forma; set tempus non est compositum ex materia et forma, quia esset substantia per se existens, ergo manifestum est quod tempus non est actu, set potentia solum; set scribitur .3. *Methaphysice* quod ens in potentia magis debet ⟨dici⟩ non-ens quam ens, ergo etc. CONTRA: cuilibet substantie respondet sua operatio; set omnis operatio indiget aliquo mensurante vel mensura, ergo necessarium est esse aliquid quod sit mensura operationum. Cum igitur duplex sit operatio; quedam simplex dependens a substantia spirituali cognoscente, et hec est intelligere, ejus mensura est eternitas; alia est operatio naturalis minus simplex et minus nobilis, cujus est moveri, que similiter ab aliquo mensurabitur minus nobili eternitate, non nisi a tempore, ergo tempus est. AD HOC dicitur, et bene, quod non est in facto esse vel accepto, set in fieri et accipiendo, et propter hoc sufficit quod ejus partes sint secundum successionem quamdam. Propter quod

Secundo QUERITUR utrum hoc modo esse partes, scilicet secundum successionem quamdam, sufficiat ad sui existentiam. Et videtur quod non: scribitur in *hoc capitulo* quod de tempore non habemus nisi nunc; set 'nunc' est totum simul cum sit simplex, ergo tempus totum simul erit; set ad existentiam totius non sufficit existentia partium in successione, quia si totum simul, et partes, ergo ad existentiam temporis non sufficit existentia partium suarum in fieri et successione, set eas necessario oportet simul et actu esse.

1 De Tempore] Quintus Phisicorum *MS.* 2 processurus] processionis *MS.* 5 sit] sint *MS.* aut] ante *MS.* 7 utroque] utraque *MS.*

CONTRA: diffinitur tempus *in litera* sic 'tempus est numerus motus secundum prius et posterius'; set partes motus que sunt in successione fieri et in accipiendo sufficiunt ad existentiam et ad simultatem motus, ergo similiter erit de tempore et ejus partibus, cum sit numerus et mensura motus, mensura autem mensurato adequatur et ei est unigena. Propter quod circa hoc

Tertio QUERITUR utrum aliqua pars temporis sit ens actu, scilicet presens. Et videtur quod sic: presens distinguitur a futuro et preterito, quia presens non est quod fuit, set preteritum, nec est quod erit, set futurum, ergo presens est quod est, cum aliquam differentiam temporis ab istis non est reperire. CONTRA: cujus partes integrantes et constituentes non sunt actu, ipsum actu non est; set partes presentis non sunt actu, quia scribitur in libro *Sex Principiorum* quod presens est cujus pars preterita et pars futura est, ergo tempus actu non est. SOLUTIO: ad primam questionum istarum dicendum quod tempus est, ut dictum est. Ad cujus intelligentiam notandum quod eorum que sunt quedam sunt entia, ut substantie complete composite ex quo est et quod est, et hec habent esse in facto esse; alia sunt entis, et hec multipliciter dicuntur, ut videbitur inferius. Quedam enim sunt ut passiones entis et mensure, et hec non omnia in facto vel accepto esse sunt, set quedam in accipiendo et fieri erunt, ut motus, et ipsum tempus quod est mensura entium non quorumlibet, set naturalium corporalium, generabilium, et corruptibilium. Propter quod NOTANDUM quod multiplex est mensura entium. Est enim duplex mensura duplici substantie create respondens. Sunt enim quedam substantie incorporales quarum mensura est eternitas causa temporis; alie sunt substantie vel entia corruptibilia, quorum multiplex est mensura; quedam intrinseca, et hec est duplex. Quedam est que aliquotiens sumpta reddit suum totum, et hoc modo pars dicitur mensurare totum; alia est que est principium cognitionis

8-9 sit ens actu] *iter. MS.* 24 accepto] acepto *MS.* 25 ipsum tempus] ipso tempore *MS.* 27 corporalium] corruptibilium *MS.* 35 mensurare] mensure *MS.*

eorum omnium in illo genere in quo est existentium, et hoc modo primum et minimum in quolibet genere mensura est eorum que in illo genere sunt, ut punctus continuorum et unitas discretorum est mensura. Alia est mensura extrinseca, et hec duplex; quedam artificialis et hec quarta vel aliquod vas mensura est vini; alia est naturalis. Et hec duplex; quedam est mensura conservationis, ut locus; alia est mensura durationis, et hoc modo tempus mensura est omnium naturalium corporalium in eo quod mobilia sunt vel mota. Per hec solvitur ratio prima, quia de substantiis completis habentibus esse in facto et accepto esse vera est major. Ad secundam, dicendum quod duplex est esse actu; quod est in facto et accepto esse, et tale non habet tempus, sicut ratio ostendit; aliud est esse in fieri et accipiendo, et tale habet tempus. Ad secundam questionem, dicendum quod ad hoc quod tempus existat sufficit quod habeat partes in successione et fieri existentes solum; set eorum que sunt in facto esse et permanentia oportet omnes partes esse actu in facto esse vel quasdam. Ad rationem contra f. 24 b 2. hoc, dicendum quod ⟨nunc⟩ non dicitur | simul totum esse a simultate suarum partium, set ab earum privatione. Partes enim non habet, cum sit terminus temporis, et omnis terminus in quantum hujusmodi indivisibilis est, et propter hoc non tenet ratio in tempore, cum sit quid particulare. Vel dicendum quod 'nunc' dicitur esse totum simul, quia nullam differentiam temporis sibi determinate appropriat; unde non solum 'nunc' est presentis, ⟨set⟩ preteriti vel futuri. Ad tertiam questionem, dicendum quod esse actu hoc est dupliciter; uno modo de se et in se, et hoc modo non est presens; alio modo in altero, et sic est presens, quia in continuando preteritum et futurum est ens actu. Unde NOTA quod non est idem suppositum presentialiter et actualiter, quia omne suppositum actualiter, presentialiter est, et non convertitur; unde omnia supposita in termino communi presentialiter sunt, et non actualiter vel in se; set ⟨que⟩ solo actu existentia in se sunt, sunt et actualiter. Ex quo potest elici talis descriptio temporis:

37 elici] obici *MS.*

tempus est mensura corporalium, cujus est esse in fieri vel successione, et non in facto esse, cujus nulla pars est ens in se, set in altero. Per hec solvuntur rationes.

Secunda questio principalis est de exitu temporis. Circa quod primo QUERITUR utrum exiverit in esse. Videtur quod non: scribitur in *hoc capitulo* quod de tempore non est nisi 'nunc'; set 'nunc' est terminus preteriti et initium futuri, ergo, si tempus exivit, 'nunc' exivit; set si 'nunc' exivit, ante exitum temporis fuit tempus, scilicet preteritum, quod ipsum 'nunc' quod est terminus ⟨et⟩ finis precedit. AD IDEM: scri itur in fine *De Causis* in *commento* quod omne quod exivit in esse in tempore vel eternitate exivit; set tempus in tempore non exivit, quia sic tempus esset mensura temporis, quod est inconveniens; nec in eternitate, quia eternitas non est mensura temporis, ergo tempus nullo modo exivit. CONTRA: omne creatum cepit esse et exivit, quia plura esse eterna est inconveniens et impossibile; set tempus est creatum vel creatura, quia non est creator, ergo tempus exivit. Quapropter circa hoc

Secundo QUERITUR de hoc quod exiverit, utrum a creante. Et videtur quod non: primi vel creantis operatio est tota simul, quia creator subito mutat vel creat, et non in successione, cum sit agens potissimum infinite potentie; set non est totum simul, ergo tempus non producitur a creante. AD IDEM: creatoris operatio infinita est et impartibilis, cum ejus virtus sit hujusmodi; set tempus partibile est, cum sit quid continuum, ergo tempus primi operatione non exivit. CONTRA: quidquid est causa subjecti est causa passionis; set primum causa est producens subjectum temporis, quod est primum mobile, ergo prima causa est producens tempus. Cujus gratia

Tertio QUERITUR utrum tempus exivit in esse a natura. Et videtur quod sic: scribitur *in litera* quod a priori et posteriori in motu causatur prius et posterius in tempore; set motus a natura, quia natura est principium motus, ergo

9 fuit] finit *MS.* 25 infinita] insita *MS.*

tempus a natura causabitur. CONTRA: omnis operatio naturalis est per motum, unde motus prima est operatio nature; si ergo tempus a natura vel naturali operatione exiret, hoc esset per motum; set scribitur *in litera* quod omnis motus in tempore; si ergo a natura, ante exitum temporis esset tempus, quod est inconveniens. SOLUTIO: ad primam istarum questionum, dicendum quod sententia Aristotelis in .6. et .8. *hujus* est quod tempus non cepit nec in esse exivit. Et hoc verum est, loquendo physice. Sententia autem nostra est quod tempus exivit et cepit operatione tamen naturam transcendente, scilicet subitanea mutatione, que est creatio. Ad quod diligenter notandum quod eorum que exiverunt in esse quedam exiverunt in se, quedam in alio; in se, ut substantie complete; in alio vel cum alio, ut passiones mensure et perfectiones substantiarum completarum. Unde NOTANDUM quod primi triplex est operatio in producendo; una est creare, et ab hac substantie complete producuntur; alia est concreare, et per hanc forme vel passiones entium exiverunt, ut universale et forme elementares et hujusmodi forme; tertia est influere, a qua entium completorum primarie passiones vel mensure procedunt, ut tempus, motus, et locus. Unde primo mobili motus et etiam tempus, quod est ejus mensura, influuntur. Ad primam rationem, dicendum quantum ad presens, quod duplex est 'nunc'; unum est 'nunc' quod est tota essentia temporis, quod est radix et origo, terminus et minimum ipsius temporis, et de hoc procedit ratio; aliud est 'nunc' creationis, vel sub quo, vel in quo ipsum 'nunc' temporis et etiam omnia creata exiverunt, unde ipsius 'nunc' temporis productio cepit fluere: ejus fluxus nichil aliud est quam tempus, et ita initium temporis et etiam istius fluxus est terminus. Ad secundam, dicendum quod major vera est de temporalibus vel mensuratis, falsa autem de mensuris. Ad secundam questionem, notandum quod de tempore dupliciter est loqui; uno modo quantum ad essentiam, et hoc modo a creante exivit; alio modo quan-

1 operatio] omnis *MS.* 21 completorum] completarum *MS.* 25 nunc[1]] *iter. MS.* est[2]] *iter. MS.*

tum ad esse, et hoc modo a quo vel quomodo exivit inferius dicemus. Ad primam rationem per predicta | dicendum, hec enim operatio primi que est creare ad aliquid f. 25 a 1. quod est totum simul terminatur, non autem alie que sunt concreare, influere, per quas hujusmodi passiones entium et mensure, sicut tempus, motus et hujusmodi, habite sunt. Ad secundam, dicendum quod primi operatio a parte sui infinita est et impartibilis, non tamen a parte operati vel incipientis, set partibilis quandoque est et finita. Ad tertiam questionem, dicendum quod quedam dicuntur exire per naturam dupliciter; uno modo quia natura ea producit, ut generabilia, et sic non est tempus; alio modo quia in ordine naturalium collocantur, et hoc modo quantum ad essentiam et sui totalitatem, et hoc modo est a creante; secundo modo quantum ad sui esse, esse autem suum sub priori et posteriori est, prius autem et posterius in tempore a priori et posteriori in motu sunt, prius autem et posterius in motu a priori et posteriori in magnitudine. Hec autem, scilicet magnitudo, natura est vel naturale, et ita esse temporis et ejus continuatio a natura est, essentia autem a creante. Unde tempus quantum ad primum exitum a creante et quantum ad secundum exitum a natura exivit in esse. Per hec solvuntur rationes.

Questio tertia principalis est de ipso nunc, de quo primo QUERITUR utrum 'ipsum nunc' sit in tempore. Et videtur quod non: in nullo continuo necessario est aliquid ponere et est causa discontinuitatis; set tempus est quid continuum, 'nunc' autem dividens est et ita discontinuans, ut scribitur *in litera,* ergo in tempore non erit necessario 'nunc' ponere. Major patet quia continuum et discontinuum contraria, set contraria simul non sunt in eodem. CONTRA: omne partibile ab aliquo impartibili fluit in genere illo, sicut patet in dividendo, ut numerus ab unitate et continuum ⟨a⟩ puncto; set tempus est quoddam continuum et ita partibile, ergo ab aliquo impartibili in illo genere ne-

4 alie] alia *MS.* 6 habite] habita *MS.* 34 puncto] puncte *MS.*

cessario emanabit; set non (est) aliquid aliud impartibile in genere illo nisi 'ipsum nunc', ergo etc. Gratia hujus

Secundo QUERITUR utrum sit unum nunc vel plura in tempore. Quod unum tantum videtur: scribitur *in litera* quod que est comparatio puncti ad lineam; eadem est ipsius 'nunc' ad tempus; set secundum philosophos linea nichil aliud est quam punctus fluens, ergo tempus nichil erit nisi 'nunc' fluens; set 'nunc' fluens unum est et idem secundum substantiam, sicut homo ambulans, ergo etc. AD IDEM: quod non possint esse plura 'nunc' in tempore videtur: scribitur *in litera* quod partes temporis non sunt simul nisi una contineat et altera contineatur, ut annus idem continens menses, et mensis septimanas; set unum 'nunc' non continet alterum, quia indivisibilia sunt, ergo uno 'nunc' adveniente, alterum corrumpetur, scilicet quod prius erat. Set hoc 'nunc' aut corrumpitur in se aut in alio: non in se, quia in se manet, tunc enim est quando est. Si in alio, aut in priori aut in posteriori: non in priori, quia prius nondum est, nec si esset ei continuaretur, quia instans instanti non continuatur. Si in posteriori vel mediante, aut continuo aut discontinuo: non in continuo, quia unum alteri non est continuum sicut punctus puncto non contingere nec etiam contiguari potest; nec etiam in discontinuo, quia tunc simul essent plura instantia vel infinita, quod est impossibile, ut visum est, quia inter quelibet instantia sunt infinita media instantia sicut inter quelibet puncta. Ex hiis igitur manifestum est quod in tempore plura esse 'nunc' est impossibile. CONTRA: si unum solum 'nunc' est in tempore, ergo quecumque tempore mensurantur, uno et eodem modo mensurantur, nec erit motus unius major altero, cum 'nunc' sit simplex et indivisibile, quod est secundum hoc mensura omnium motuum; hoc autem impossibile est. Propter majorem evidentiam predictorum

Tertio QUERITUR utrum 'ipsum nunc' sit corruptibile. Et videtur quod non: omne corruptibile resolubile; 'nunc' non est resolubile, ergo non est corruptibile. Major patet,

1 non] nunc *MS.* 5 que] tempus *MS.* 19 instans] stans *MS.*

quia instans vel 'nunc' indivisibile est et impartibile. AD IDEM: scribitur in *hoc capitulo* quod omne corruptibile corrumpitur in tempore. Ex hoc arguo: omne illud in quo alterum corrumpitur potest esse sine illo quod in ipso corrumpitur; set 'nunc' corrumpitur in tempore, ergo tempus sine 'nunc' potest esse, quod est impossibile, ergo 'nunc' non est corruptibile. CONTRA: plura 'nunc' simul esse est impossibile; set in tempore plura sunt 'nunc', ergo unum post alterum corruptibile est et etiam corrumpitur, aliter simul essent. Major patet per predicta, quia unum alteri continuari non potest nec etiam contiguari; minor patet, quia nullius contigui actu finiti est accipere unum tantum terminum, set adminus duo, ut patet in linea, in qua sunt duo puncta, scilicet initians et terminans. Utrum igitur 'nunc' sit corruptibile et, si sit, utrum in se vel in tempore vel in aliquo alio dubitatur. SOLUTIO: ad primam questionem istarum trium notandum quod esse aliqua in tempore dicuntur tripliciter; uno modo sunt quedam in tempore ut a tempore mensurata, ut substantie corruptibiles; secundo modo dicuntur aliqua esse in tempore tanquam temporis, et hoc modo presens, preteritum, et futurum in tempore sunt; tertio modo tanquam aliquid temporis, scilicet terminus et initium, et hoc modo 'nunc' dicitur esse in tempore. Propter quod NOTANDUM quod 'ipsum nunc' in tempore habet esse .5. modis; uno modo sicut initians, et hoc respectu futuri; secundo modo tanquam terminans, et hoc respectu preteriti; tertio modo | ut dividens; .4. modo f. 25 a 2. ut cóntinuans, et utroque modo istorum duorum respectu partium; quinto modo sicut delatum vel fluens, et hoc est tota essentia temporis, et de ejus fluxu posterius dicemus. Ad rationem contra hoc, dicendum quod major vera est de illo quod est tantum dividens et discontinuans; set non solum dividit, set etiam continuat, ut visum est. Unde NOTA quod duplex est divisio; quedam est divisio que est sectio, et hec non repugnat continuitati et hujusmodi divisionis est principium; alia est divisio que est resolutio, et hec non respondet continuitati, set compositioni, et istius divisionis non est nunc principium. Ad secundam que-

stionem notandum quod triplex est 'nunc'; quoddam est 'nunc' creationis, et in isto omnia exiverunt; secundum est 'nunc' eternitatis. Et hoc est duplex, quia duplex est eternitas; quedam increata, et hec est ipsius creatoris, que idem est cum ipso, unde in ipso non differt mensura et mensuratum; alia est creata, et hec est substantiarum spiritualium. Tertium 'nunc' ipsius temporis, et hoc dupliciter consideratur; uno modo quantum ad essentiam, et hoc 'nunc' unum est et idem semper permanet; alio modo quantum ad esse, et hoc modo diversum est et differens. Hujus autem est ratio, quia tempus mensura est motus hujus vel illius, et ita unum et idem tempus secundum substantiam vel essentiam mensurans plures motus unum est, secundum autem rationem et esse differens est et diversum; sicut Sor existens in foro et in theatro secundum substantiam unum et idem est, tamen secundum rationem et esse est differens, et sicut numerus denarius unum et idem est in essentia vel substantia prout est numerans .x. homines et .x. assinos, ratione tamen et esse diversus et differens, sic est de ipso 'nunc' intelligendum. Per hoc solvitur ratio prima; set secunda per solutionem questionis tertie dissolvitur. Propter quod ad tertiam questionem notandum quod, sicut dictum est, duplex est 'nunc'; quoddam secundum essentiam, et hoc est incorruptibile; aliud secundum esse, et hoc est corruptibile. Set NOTA quod eorum que corrumpuntur quedam sunt entia completa, et talium corruptio est resolutio; alia sunt entia incompleta, et talium corruptio non est proprie resolutio. Propter quod NOTA ulterius quod duplex est resolutio; quedam in hec, et hec est resolutio proprie, et est entium completorum ex suis principiis, scilicet materia et forma; alia est resolutio ad hec vel hiis, et sic passiones entium, et hujusmodi entia incompleta dicuntur habere corruptionem, et hoc modo forma corrumpitur ad materiam, et similiter tempus hoc modo corrumpitur, scilicet ad alterum vel per alterum, ut inferius videbitur. Per hoc solvitur ratio prima. Ad secundam rationem, dicunt quidam quod major vera est de aliis a tempore, scilicet quod omne quod corrumpitur in tempore corrumpitur. Set

dicimus quod 'nunc' per esse in tempore vel cum tempore corrumpitur, unde tempus preter hoc 'nunc' vel illud potest esse bene, set non preter 'nunc' secundum essentiam quod est tota essentia ipsius temporis. Unde corrupto hoc motu vel illo, corrumpitur tempus hujusmodi motus mensurans et etiam 'nunc' istius temporis, et hoc totum est secundum esse. Propter quod NOTANDUM quod aliquid corrumpitur tripliciter; uno modo a contrario, ut calidum a frigido; secundo modo per deffectum in seipso, ut ignis non presente combustibili, et istis duobus modis non corrumpitur tempus; tertio modo per corruptionem ejus cujus est vel in quo est, et sic corrumpitur tempus per corruptionem motus cujus est mensura, et ita corrumpitur tempus et in tempore; set hujusmodi solum secundum esse differunt, scilicet tempus quod corrumpitur et in quod. Similiter dico quod ad corruptionem istius subjecti facti esse corrumpitur 'ipsum nunc' quod ad ipsum refertur. Ut igitur secunda ratio questionis secunde solvatur, diligenter NOTANDUM quod 'nunc' non corrumpitur in alio 'nunc', set in eodem sibi per essentiam, altero tamen secundum esse. Unde 'nunc' secundum esse tunc manens corrumpitur non in alio nec in se, set in altero, scilicet in 'nunc' secundum essentiam, quod a se non est aliud, set alterum. Unde hoc esse temporis vel illud a tempore abicitur, tempore secundum substantiam et essentiam manente, et aliud esse ⟨est⟩ adveniens. Unde sicut esse in foro corrumpitur a Corisco, et in ipso Corisco manente secundum essentiam vel substantiam, sic hoc 'nunc' vel illud quod est diversum secundum esse et accidentaliter corrumpitur, ipso per essentiam, quod est tota temporis essentia, remanente.

Quesito de tempore an sit, nunc de ipsius quiditate restat inquirendum. Set antequam ad ejus deffectum positum *in litera* accedamus, quasdam questiones ejus naturam circuentes reserabimus. Est ergo prima questio, utrum tempus sit substantia vel accidens. Quod sit substantia videtur:

3 non] nunc *MS*. 16 esse *post* subjecti *MS*. 29 ipso] ipsum *MS*.

omne illud quod habet posse supra substantiam et quod est causa corruptionis substantie est substantia; tempus est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia causa nobilior causato et substantia nobilior accidente, unde accidens non est causa substantie nec potest supra ipsam; minor patet, f. 25 b 1. quia tempus est | causa corruptionis, ut scribitur *in litera.* AD IDEM: quod habet proprietatem substantie substantia est; tempus est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia non est passio propria nisi in proprio subjecto; minor patet, quia tempus manet omnibus que in ipso sunt corruptis, scilicet temporalibus; hoc autem est proprium substantie, scilicet quod remaneat, accidentibus omnibus circa ipsam corruptis. CONTRA: nichil quod tantummodo est in acceptione fieri et successione est substantia; tempus est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia substantia est quod vere, quod autem sic est non est vere; minor patet in *tertio, capitulo de infinito.* QUOD CONCEDO: unde tempus non est substantia, cum substantiale est ut mensura durationis rerum temporalium. Ad primam rationem, dicendum quod posse supra substantiam hoc est dupliciter; uno modo in producendo, et tale est substantie; alio modo in durationis mensuratione, continuatione, et hoc non est de necessitate, et hoc modo potest tempus supra substantiam. Vel dicendum ad minorem quod de substantia est loqui dupliciter; uno modo in eo quod substantia, et sic tempus non habet posse supra substantiam; alio modo in eo quod naturalis et mobilis, et sic habet posse supra substantiam. Ad secundam, dicendum quod deberet concludere, 'ergo tempus est substantiale, et non substantia'. Vel dicendum quod manere aliis transmutatis corruptis, hoc est dupliciter; uno modo in ratione defferentis, et sic substantia, alio modo in ratione mensurantis, et sic manet tempus.

Secundo QUERITUR, dato quod tempus non sit substantia set accidens, cujusmodi accidens sit, scilicet utrum sit quantitas vel qualitas. Quod sit qualitas videtur: omne quod dividitur per differentias qualitatis est qualitas genere;

16 minor] major *MS.* 18 ut] enim *MS.* 28 deberet] debere *MS.* 36 dividitur] dividuntur *MS.*

tempus est hujusmodi, ergo etc. Major patet, quia differentia cum sit generalis cum genere collocatur, unde non aliqua differentia preter suum genus; minor patet quia temporum aliud calidum, aliud frigidum, etc., que sunt differentie qualitatis. AD IDEM: illud secundum quod res dicuntur quales est qualitas; tempus est hujusmodi, ergo etc. Major patet per diffinitionem qualitatis in *Predicamentis*; minor patet, quia secundum tempus dicuntur res temporales. CONTRA: quod sit quantitas videtur: omne illud cui ratio mensurandi competit est quantitas, quia quantitati proprium est mensurare, et non alii; set tempus est hujusmodi, quia est mensura motus, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod temporis duplex est natura; una per quam continuat et mensurat, et sic est quantitas; secunda est per quam rebus temporalibus influit, et hoc modo est qualitas. Per hoc solvuntur rationes.

Tertio QUERITUR, dato quod sit quantitas, utrum sit continua vel discreta. Quod non sit continua videtur: omnis quantitas continua est divisibilis; tempus non est quid divisibile, set indivisibile, quia 'nunc' est tota essentia temporis, quod est indivisibile, ergo etc. AD IDEM: non est dicere quod punctus est quantitas, quia indivisibilis est et ideo non mensurat; ergo a simili, cum 'nunc' sit indivisibile, non mensurabit, nec erit quantitas continua, ergo similiter nec tempus, cum sit ejus tota essentia. CONTRA: quantitas continua est cujus partes ad aliquem terminum communem copulantur; set partes temporis sunt hujusmodi, quia preteritum et futurum ad presens copulantur, ergo etc. Utraque scribitur in *Predicamentis*, in *capitulo de quantitate*. QUOD sit quantitas discreta videtur: omne habens distinctionis vel discretionis causam est quantitas discreta; tempus est hujusmodi, quia ibi est ponere 'ipsum nunc', quod est discretivum et distinctivum partium temporis, ergo etc. AD IDEM: quod est numerus est quantitas discreta; tempus est numerus, quia numerus motus, ergo etc. QUOD simul sit continua et discreta quantitas videtur: quod habet proprietates continui et

22 indivisibilis] indivisibile *MS.*

discreti et etiam differentias continuum est et discretum; tempus est hujusmodi, quia tempus est longum et breve, que sunt proprietates continui, et etiam multum et paucum, que sunt proprietates discreti, ergo tempus continuum est et discretum. AD IDEM: quod infinitum est appositione vel divisione continuum est et discretum; tempus est hujusmodi, ergo etc. Utraque patet *tertio hujus*, *capitulo de infinito*. Propter hoc queratur quid sit causa discretionis in tempore. SOLUTIO: ad principalem questionem, dicendum quod tempus uno modo consideratur; tempus est scilicet ratione distantie et extensionis inter duo extrema que sunt, ut 'nunc', et hoc modo dicitur quantitas continua; alio modo ratione qua numerus est, scilicet sub ratione prioris et posterioris, distinguentis et numerantis, et sic est quantitas discreta. Et hoc non est inconveniens, cum hoc sit sub diversis nominibus; et propter hoc due ultime rationes concedantur. AD ANNEXUM, dicendum quod tempus dupliciter habet discretionem; uno modo in ratione cognoscendi, et hoc modo ab anima, quia anima apprehendit prius et posterius in motu, et per hoc prius et posterius in tempore discernunt, unde homo dormiens, quia nullum motum vel transmutationem apprehendit, cum a sompno expergiscatur, credit se nichil temporis dormivisse; alio modo in ratione essendi. Et hoc dupliciter; uno modo ab ipso nunc fluente; secundo modo a priori et posteriori recipiunt ipsum ordinem et discretionem a motu. Ad primam rationem, dicendum quod duplex est indivisibile; quoddam quod tantummodo terminus est divisibilis nec habet potentiam ad divisionem, et hoc modo punctus indivisibilis est, et hoc modo verum est quod indivisibile non potest causare divisibile vel continuum integrare; aliud est indivisibile quod non tantum terminus divisibilis, set potens ad divisionem, et est de substantia et integritate divisibilis, et
f. 25 b 2. hoc est 'ipsum | nunc'. Per hoc solvitur ratio secunda, quia non est simile de puncto et de 'ipso nunc'. Ideoque

Quarto QUERITUR utrum 'ipsum nunc' sit divisibile. Videtur quod non: omnis multitudo fluit ab unitate, et

3 proprietates] proprietate *MS.* 22 expergiscatur] experisca *MS.*
30 indivisibile] divisibile *MS.* 32 divisibilis] indivisibilis *MS.*

omne divisibile ab indivisibili aliquo in illo genere; set tempus fluit ab 'ipso nunc', ergo 'ipsum nunc' erit indivisibile. Major patet in libro *De Memoriali*; minor patet per philosophos et etiam *in litera*. AD IDEM: scribitur in primo *hujus* quod terminus uniuscujusque est indivisibilis; set 'nunc' est temporis terminus, ergo etc. CONTRA: omne quod multiplicatur et numeratur secundum multiplicationem et numerationem aliorum est numerabile et ad eorum numerationem numeratur et multiplicatur, ergo 'nunc' est divisibile. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de ipso ⟨nunc⟩ dupliciter est loqui; uno modo secundum essentiam, et hoc modo unum et idem est et indivisibile; alio modo secundum esse, et hoc modo diversum et divisibile est, quia sic est mensura hujus moti vel facti esse vel illius. Per hoc solvuntur rationes.

Quinto QUERITUR utrum tempus sit quantitas per se vel per accidens. Quod per accidens videtur: scribitur .5. *Methaphysice* quod motus est quantitas per se, tempus autem per accidens. AD IDEM: quod ab altero continuationem recipit quantitas continua est per accidens, scilicet per illud a quo recipit; set tempus est hujusmodi, quia habetur *in litera* quod quantitas temporis a motu et continuitas motus a magnitudine, ergo tempus quantitas per accidens. CONTRA: scribitur in *Predicamentis* quod tempus quantitas per se, motus autem per accidens, *capitulo de quantitate*. AD IDEM: illud est continuum per se, cujus partes ad aliquem terminum communem copulantur; set partes temporis sunt hujusmodi, et non mótus, ut scribitur in *Predicamentis*, *capitulo de quantitate*, ergo etc. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod de tempore dupliciter est loqui; uno modo quantum ad esse formale, et dico esse formale ipsam distantiam vel extensionem quam habet inter duo 'nunc', et hoc modo est quantitas continua per se, motus autem per accidens. Cujus causa est quia tempus manet in partibus; secunda causa est quia in tempore accepto posteriori manet prius, quamvis contrarium videatur asserere auctor, *capitulo de infinito*. De hoc

3 Memoriali] Memorali *MS*. 27 copulantur] compulantur *MS*. 34 est *post* partibus *MS*

enim fiet questio. Set in motu non est sic; quia enim motus non manet in partibus suis, propter hoc partes ejus non copulantur ad aliquem terminum communem; et quia priori accepto non remanet posterius in motu, ideo non continua per se, set solum per spatium supra quod fit motus. Alio modo est loqui de tempore quantum ad esse materiale. Dico autem esse materiale quod habet sub priori et posteriori, quod recipit a motu, et hoc modo est quantitas per accidens, quod opponitur ei quod est primo et non ei quod est per se: motus autem quantitas per se. Per hec solvuntur rationes et propter hoc quod hic supponit .3.

Sexto QUERITUR utrum accepto posteriori in tempore maneat quod prius. Et videtur quod non: per auctoritatem tertii *hujus*, *capitulo de infinito*. AD IDEM: tempus vel quod est in fieri solum et successione est vel in accipiendo; set nullius talis accepto posteriori manet prius, ergo etc. AD IDEM: tempus est numerus et mensura motus nec unum sine altero esse potest; set in motu accepto posteriori non remanet prius, ergo similiter erit in tempore, quia mensura unigena est mensurato, .10. *Methaphysice*. Propter hoc ex incidenti QUERITUR, si in numero accepto posteriori maneat prius in linea, in generatione et in tempore: quomodo differenter? CONTRA: in omni genere in quo est ponere aliquod primum minimum indivisibile a quo fluunt omnia illa que sunt illius generis, accepto posteriori manet prius; set sic est in tempore, scilicet 'ipsum nunc', ergo etc. Major patet quia non existente vel remanente priori non existit quod posterius est, ex quo illud prius causa est, origo et radix posteriorum. SOLUTIO: ad questionem et ejus annexum, dicendum quod accepto posteriori prius remanere hoc est multipliciter: uno modo secundum esse, substantiam, et essentiam, et sic in linea vel magnitudine, unde accepto posteriori parte linee manet prior modis predictis; secundo modo secundum substantiam et esse et non secundum essentiam, et sic in numero, unde senario accepto illud quod manet non est idem secundum essentiam, set solum secundum substantiam et esse, scilicet .5., .4., vel

3 copulantur] compulantur *MS*. 15 vel] et *MS*.

tres et hujusmodi, unde scribitur .5. *Methaphysice* quod bis ⟨tres⟩ formaliter non sunt sex, set solum materialiter; tertio modo accepto posteriori ⟨prius⟩ dicitur remanere non secundum esse et substantiam per hoc tango actualitatem, set secundum essentiam, per hoc tango formam. Et sic in generatione, accepto posteriori remanet prius, quia in generato et generante est eadem forma vel essentia, tamen in esse et actualitate essendi differunt. Similiter est in tempore; eadem enim est forma vel essentia presentis, preteriti, et futuri, etsi secundum esse et substantiam vel actualitatem essendi differant. Sed CONTRA hoc quod de generatione dicitur potest obici sic: generatio est quidam motus, ergo in motu accepto posteriori manet prius, quod est contra predicta. Ad quod dicendum quod in generatione hujusmodi prius non manet ratione generationis vel motus, set ratione generati vel moti. Per hec solvitur ratio prima, que erat ex auctoritate *hujus tertii*, quia auctor intendebat ⟨quod⟩ in tempore accepto posteriori non remaneret prius secundum esse et actualitatem. Ad secundam vero, solvitur per hoc idem, quia verum ⟨est⟩ quod non remanet prius secundum esse et actualitatem essendi. Ad tertiam, dicendum quod etsi in motu non remaneat prius accepto posteriori, non tamen scribitur hoc de tempore, et hoc est quia in motu non est ponere minimum a quo fluat essentia motus, sicut est in tempore: unde cum dicit quod mensura et mensuratum unigena sunt, verum est de mensura intra | et non ⟨de⟩ f. 26 a 1.
mensura extra, sicut est tempus. Propter quod

Septimo QUERITUR utrum in motu sit ponere minimum a quo fluat. Et videtur quod sic: omne divisibile et omnis multitudo ab aliquo indivisibili et unitate in genere illo procedit; set motus est divisibilis et quasi multitudo, ergo ab aliquo mobili et unitate existente in suo genere procedit, ergo etc. Major scribitur in libro *De Memoria Rerum Difficilium*. AD IDEM: que est comparatio termini temporis ad tempus, eadem est termini motus ad motum; set

3 posteriori] priori *MS*. 4 actualitatem] auctoritatem *MS*. 8 actualitate] accidente *MS*. 10 etsi] et scilicet *MS*. 19 actualitatem] actualitate *MS*. 30 unitate] uninitate *MS*.

terminus temporis minimum est in tempore scilicet 'ipsum nunc', ergo terminus motus in motu minimum erit. CONTRA: a quocumque est accipere minimum a quo fluit, in eodem est accipere essentiam ab esse differentem; set in motu non est accipere essentiam ab esse differentem, ergo in motu non est accipere minimum. Major patet quia minimum est essentia omnium que sunt in illo genere, ut patet in generibus generationis; minor patet quia ubi est reperire essentiam differentem ab esse, accepto posteriori remanet prius, quia essentia prius est quam esse, ut scribitur .7. *Methaphysice*, set accepto esse remanet essentia. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod minimum esse in motu hoc est dupliciter; uno modo extra, et hoc modo minimum est factum esse in motu; secundo modo intra. Et hoc dupliciter; uno modo uniformitate, causalitate, et mensura, et sic est reperire minimum in motibus, scilicet motum primum, scilicet primi mobilis, qui est causa et regula aliorum motuum; secundo modo dicitur minimum esse in aliquo quod sit minimum primum et indivisibile, in quo omnia illius generis et salvantur et a quo fluunt, et hoc modo in motu non ⟨est⟩ minimum ponere propter rationes predictas. Unde motus essentiam habet a motore et a mobili esse, set ab uno istorum sine alio unus potest motus fieri; ergo non habet essentiam sine esse nec essentiam differentem ab esse. Ad primam rationem, dicendum quod procedit de divisibili habente essentiam preter esse, scilicet ab esse differente. Ad secundam rationem, dicendum quod non est similitudo nec proportio inter terminum temporis et tempus, et terminum motus et motum, quia terminus motus extra est, temporis autem terminus est intra.

Octavo QUERITUR utrum motus habeat essentiam. Videtur quod sic: effectus assimulatur sue cause; set causa motus est motor; set motor habet essentiam, ergo et motus. CONTRA: omne quod habet essentiam est aliqua natura que seipsa potest stare absolute et in esse; set motus non est hujusmodi, quia non est sine motore et mobili, ergo motus non habet essentiam. Major patet quia essentia est rei

10 quam] quia *MS*. 29 motum] motus *MS*.

quiditas nomine absolute. HUIC questioni addimus: a quo motus habeat essentiam, qualiscumque sit illa. Quod a motore videtur: essentia precedit esse; set motor precedit mobile, ergo motus essentiam habebit a motore. CONTRA: passio vel accidens essentiam habet a subjecto suo, quia subjectum causa est esse et essentie accidentium, ut scribitur .7. *Methaphysice*; set motus passio est mobilis, ergo etc. SOLUTIO: ad questionem, dicendum quod motus proprie loquendo essentiam non habet, quia si eam haberet, posset intelligi sine causis a quibus est: unde habet essentiam ab esse indifferente. Unde nota quod essentia dicitur dupliciter; uno modo communiter et nomine extenso, et hoc modo continuatio vel successio motus dicitur ejus essentia; secundo modo nomine proprio, et hoc modo idem est essentia quod quiditas rei nomine absolute cujus preter esse est accipere, que manet esse corrupto. Et hoc modo motus essentiam non habet. Ad primam rationem, dicendum quod major vera est de causis et de causatis que sunt in eodem genere; set sic non sunt motus et motor, quia motor substantia est genere, motus autem quantitas vel aliquid hujusmodi. Unde motus est habentis essentiam et non habens essentiam, set in tempore esse et essentiam per differentiam contingit reperire; quia substantia mobilis non mensuratur, quod est essentia temporis, set mobile in eo quod sic ab ipso tempore mensuratur. Set sicut substantia ejus quod fertur, scilicet mobilis, in eo quod substantia et id quod est incorruptibilis, ipsum autem mobile in eo quod mobile corruptibile, sic ipsum ' nunc ' quod est temporis essentia incorruptibile est, ipso tempore corrupto. Ad id quod additum fuit, dicendum quod motus hujusmodi essentiam communiter dictam, scilicet continuationem vel successionem, habet a motore. Ad rationem contra hoc, dicendum quod duplex est passio; quedam est absoluta, et de hac procedit ratio; alia est respectiva, cujusmodi est motus. De tali passione falsa est major.

Nono QUERITUR utrum tempus sit motus. Videtur

2 illa] illo *MS.* 16 corrupto] corrupta *MS.* 24, 27[1] mobile] mobilie *MS.* 29 est] *iter. MS.* 31 dictam] decimum *MS.*

quod sic: scribitur in *hoc* omne quod mensuratur primo et minimo sui generis mensuratur; set motus tempore mensuratur, ergo tempus est minimum et ejusdem generis cum motu, ergo tempus est motus. AD IDEM: quorumcumque sunt eedem differentie ipsa sunt eadem; set temporis et motus eedem sunt differentie, scilicet prius et posterius, ergo etc. AD IDEM: ab eodem in quantum hujusmodi non procedit nisi unum et idem; set tempus et motus ab eodem causantur, scilicet a priori et posteriori in magnitudine, ergo etc. CONTRA: passio et subjectum differunt per essentiam, nec unum de altero predicabile accipiendo secundum id quod sunt; set motus subjectum est temporis, est enim tempus mensura vel numerus motus, ergo et tempus non est motus nec e contrario. AD IDEM: nichil mensuratur a
f. 26 a 2. seipso per essentiam; set tempus mensu|rat motum, ergo etc. QUOD CONCEDO: unde esse, motus et temporis simul sunt, essentialiter tamen et substantialiter differunt. Ad primam rationem, dicendum quod duplex est mensura; quedam intra, et de hac procedit ratio; alia extra, et sic est questio. Ad secundam, dicendum quod de tempore dupliciter est loqui; uno modo quantum ad essentiam, et sic est a suo minimo, ⟨id⟩ est 'nunc', nec ei confert motus nec magnitudo; alio modo quantum ad esse quod est secundum prius et posterius, et hoc modo prius et posterius sunt differentie motus et temporis, set differenter, quia motui insunt a priori et posteriori in magnitudine, tempori autem a priori et posteriori in motu. Per hoc solvitur ratio tertia, quia etsi ab eis causantur, differenter tamen, quia unum immediate, scilicet prius et posterius in motu, reliquum autem mediate, scilicet in tempore.

Decimo QUERITUR utrum tempus possit esse sine motu. Videtur quod sic: omne excellens aliqua potest esse preter illa que excellit; set tempus excellit motum, quia scribitur in *hoc capitulo* quod tempus excellit omnia illa que sunt in tempore, quia tempus potest esse preter motum. AD

2 mensuratur] mensuatur *MS.* 5 eedem] eadem *MS.* 13 et tempus] etc. *MS.* 17 sunt] esse *MS.* 32 excellens] exellens *MS.* 33², 34 excellit] exellit *MS.*

IDEM: 'nunc' sequitur substantiam ejus quod fertur, scilicet mobile; set substantia ejus quod fertur potest esse sine motu, ergo 'nunc' potest esse sine motu; set 'nunc' nunquam potest esse sine tempore; ergo tempus poterit esse sine motu. Major et ista coassumpta scribuntur *in litera*. AD IDEM: differentium per essentiam unum potest esse sine altero; set tempus et motus per essentiam differunt, ergo etc. AD IDEM: quod est per se potest esse sine eo quod est per accidens; set tempus est numerus vel mensura motus per se, motus autem mensura temporis per accidens, ut scribitur *in litera*, ergo etc. CONTRA: tempus sub priori et posteriori determinatur, quod est in successione; set hoc recipit a motu, ut scribitur *in litera*, ergo tempus non potest esse sine motu. AD IDEM: passio non potest esse sine subjecto. Et propter hoc huic questioni addimus, UTRUM motus sit subjectum temporis. Videtur quod non: subjectum majoris est fixionis, sustentationis, et durationis quam passio; set majoris fixionis non est motus quam tempus, ergo etc. CONTRA: que est comparatio magnitudinis ad motum, eadem est motus ad tempus; set magnitudo vel mobile subjectum est motus, ergo motus subjectum temporis erit. Major scribitur *in litera*. SOLUTIO: ad hoc dicendum quod tempus potest considerari dupliciter; uno modo quantum ad essentiam, et hoc modo exivit in esse per concreationem, et hoc modo potest esse sine motu, nec sic in successione consistit; alio modo quantum ad esse, et hoc modo est numerus et mensura, et equalia sunt motus et tempus, et sic in successione consistit, et priori et posteriori determinatur, et hoc modo tempus physicum et considerationis physice, et hoc modo per influentiam habitum est, set tempus primo modo dictum proprie divine vel theologice considerationis est. Per hec solvuntur rationes et objecta diversitate procedentia.

Viso de tempore in quo genere collocetur et quibusdam

1, 3 nunc] non *MS*. 12 successione] succeptione *MS*.

dubitabilibus ejus naturam circuentibus reseratis, nunc ad explanationem sue diffinitionis accedamus. Est igitur prima questio utrum tempus sit numerus. Et videtur quod non: de quocumque predicatur subjectum illi insunt proprie passiones ejusdem subjecti; set par et impar sunt proprie passiones numeri, non sunt temporis, ergo numerus de tempore non predicatur, ergo tempus non erit numerus. AD IDEM: species ex opposito condivise nunquam sese adinvicem diffiniunt; set tempus et numerus sunt species ex opposito condivise, ergo numerus non cadit in diffinitione temporis nec e contrario, ergo etc. AD IDEM: quicquid est in genere est in aliqua ejus specie; set tempus non est aliqua species numeri, nec binarius nec ternarius etc., ergo tempus non est numerus. AD IDEM: omnis numerus est quid agregatum; set tempus non est hujusmodi, ergo etc. Major patet quia numerus est accervus ex unitatibus profussus, unde est aggregatio unitatum; minor patet quia tempus non agregatur ex partibus, quia partes ejus non manent; item, non agregatur ex ipsis 'nunc', quia indivisibile cum indivisibili non agregatur. CONTRA: omnis mensura mensurati est numerus; set tempus est mensura, ergo etc. Major patet quia nichil aliud est mensurare quam numerare, ut habetur in *commento* supra hunc passum. AD IDEM: omne illud quod sub priori et posteriori distinguitur est numerus, quia hoc proprium ipsi numero; set tempus est hujusmodi, ergo etc.

Secundo QUERITUR utrum ipsum tempus sit numerus motus. Et videtur quod non: scribitur secundo *hujus* quod numerus forma est; set tempus non est forma numeri quia non dat ei esse, ergo etc. AD IDEM: non-entis nulla est mensura vel numerus; set motus est non-ens, ergo nec tempus nec aliud erit numerus motus. Minor patet, quia motus non est secundum se, quia solum est in fieri, nec secundum substantiam, quia accepto posteriori remaneret prius in ipso. CONTRA: omne illud per cujus prius et posterius alterius ⟨prius et posterius⟩ cognoscuntur est ejus numerus; set prius et posterius in motu per prius et

6 temporis] temporum *MS.* 12 est[1]] *iter. MS.*

posterius in tempore cognoscuntur et distinguuntur, ut scribitur *in litera,* ergo etc.

Tertio QUERITUR utrum tempus sit numerus numerans vel numeratus. Quod sit numerus numeratus videtur: scribitur *in litera* quod a priori et posteriori in magnitudine causatur prius et posterius in motu, et a priori et posteriori in motu prius et posterius in tempore, ergo cum tempus per rationem prioris et posterioris sit numerus, et hoc habeat ab alio, scilicet a magnitudine et motu, manifestum est quod erit numerus numeratus. AD IDEM: nulla diffinitio debet esse circulantis; set prius et posterius tempus diffiniuntur, ergo inconveniens est tempus diffinire prius et posterius; set numerus numerans prius et posterius diffinit, ergo etc. CONTRA: anima est causa temporis: set anima est numerus numerans; | ergo similiter et tempus. f. 26 b 1.
Major patet in *hoc capitulo*, ubi dicitur quod anima necessario apprehendit et per hoc tempus distinguit.

Quarto QUERITUR utrum tempus sit numerus par vel impar. Quod sit numerus par videtur: ut scribitur *in litera*, tempus priori et posteriori determinatur; set prius et posterius duo sunt que faciunt numerum parem, qui est binarius, ergo etc. CONTRA: numerus par ex unitatibus colligitur; set non tempus, ergo etc. Minor patet, quia plura 'nunc' simul non possunt colligi, cum non sint continua nec contigua.

Quinto QUERITUR quare tempus magis diffinitur per motum quam per quietem. Quod magis deberet diffiniri per quietem videtur: notificatio vel diffinitio rei debet dari per nobiliora; set quies est nobilior motu, ergo tempus magis deberet diffiniri per quietem, dicendo tempus est numerus quietis quam per motum. Major patet, quia diffinitio temporis datur per causam; set causa nobilior est in re. ITEM: diffinitio datur per magis nota; set magis notum de re hoc illud quod est in re nobilius. AD IDEM: tempus est numerus vel mensura naturalium; set sicut naturalia moventur, ita quiescunt, quia principium non

conseruant eam vsque ad locum ne a digestionibus frangatur. Et que faciant medicinam diuerti ad viam quam intendimus. Et que faciant eam penetratiuam in longinquum. Et que figant eam prope. Et que alterent qualitatem. Et que ad inuicem se non expoliant. Et proportio rerum ingredientium. Et quod sint fermentata et vnita. Et cum peruenerimus ad has 13 res, perueniet ad nos intentio nostra, et erit compositum quod sua radice et cum hiis, que operationem radicis sequuntur, egritudinem curabit, et confortabit corpus et membra sua confortatione. Et conseruabitur ne a digestionibus frangatur sua conseruatione, et penetrabit sua penetratione, et figet se in loco sua fixione, et diuertet se ad viam quam intendimus sua diuersione, et abhominationem auferet sua dulcedine, et franget nocumentum sua fractione. Et quandocunque vnum predictorum gerit vicem duorum vel plurium, et omnia consequuntur, | cum res abinuicem se non expoliant et sunt proportionata proportione conuenienti et fermentata fermentatione completa. Et de hiis predictis omnibus cum explanatione aperta loqui incipiamus.

B. f. 15^{v}, col. i.

The root of roots.

Radix primo in omni composita medicina est consideranda, que si priuatur destruitur basis, sicut est caro tyri in tyriaca et aloes in ierapigra et eleborus in ieralogodion. Ut dicit Auicenna in principio .v. canonis. Nam sicut planta ex suis radicibus, ita compositum ex sua radice vel radicibus sustentatur. Nam quandocunque vna, quandocunque due, quandocunque plures radices in composito ponuntur ad eandem operationem faciendam, ut in benedicta nostra qua inponun-

1 ea *Can* a] in *S* frangantur *M* 2 et que faciat medicinam *B E*; et que facit medicinam *M*; *om. Ch* 3 in] et *Can* 4 proprie *S* alteram *Ch E* 6 et que sit *M* vncta *B* 7 ad has xiii res peruenit *M* 8 quod] pro *Ch E*; *Can M add* cum 10–11 Et conseruabitur ... conseruatione *om. Can M S*; et conseruabitur nostre digestionis frangabitur sua digestione et conseruabitur *Ch* 12 dimittet *B Ch* 13 diuixione *M*; diuisione *S* auffert *M*; aufert *S* 16 ad inuicem *Can M* 17 sunt] sic *B*; sit *S*; sicut (?) *or* sunt (?) *M* 19 omnibus *om. M* 21 que si] quasi *M* priuatur] formatur *Can M S* basis] *M ends here* 22 yerapigra *Can*; rerepigra *S* yeralogodion *Can*; ieralogod' *B E*; ierelagod' *Ch*; ierolagod' *S* dicit *om. Can* 24–5 substentatur *Can* 26 ad eandem ... Item quandocunque ponuntur (*p.* 107 *l.* 4) *om. Can*

Reasons for having more than one root.

tur radices 4^{or}. Sed cause quare due radices vel plures in composito ponuntur sunt multe. Vna causa est ut virtus vnius radicis per alteram confortetur. Item quandocunque ponuntur due radices ut duas faciant operationes in eadem specie egritudinis, ut in medicamine contra paralisim de frigida causa ponitur pro radice castoreum ut neruos confortet, et piretrum ut consumat et dissoluat fleuma mollificans neruos.

Supplementary and counteracting ingredients.

Item quandocunque sola radix vel radices cum aliis simplicibus sequentibus eius operationem suplent vices omnium vel quarundam simplicium rerum que in composito ponuntur. Item debet esse proprietas in radice infallibilis, quia sepe propter suam nobilitatem siue eius nobilem proprietatem compositum ab ea recipit nomen, sicut tyriaca a carne tyri etc. Item si radix habet in se nocumentum, ponatur tantundem de re que eius nocumentum auferat, sicut, quando ponitur opium pro radice, debet poni tantundem cum eo castorei ut eius nocumentum auferat, ut dicit Auicenna in capitulo de fluxu. Et quandocunque aufertur nocumentum radicis cum preparatione. Item si plures in composito ponuntur radices, debent concordare simul in proprietate et operatione, quia in radicibus et in hiis que operationem radicum sequuntur est tota vis composite medicine. Et hec sunt vera nisi plures radices diuersas respiciunt egritudines, ut in atonasia maiori, quia tunc quelibet radix suam recipit operationem diuersam ab alia.

B. f. 15^{v}, col. ii.

Use of lists of members and lists of properties.

Item radices et que earum operationem confortant debent capi a tabulis | membrorum et proprietatum, et omnes alie res que in composito ponuntur a tabulis proprietatum. Et ideo filius principis Aboaly rescribit librum de simplici medicina secundum tabulas. Sed illa radix est probata cuius operatio in tabulis membrorum et in tabulis proprie-

6 castorium *Can*; castoricum *S* 7 ut] et *Can* flegma *Can* 12 infallibil' *B* 12–15 infallibilis . . . a carne *om. Can S* 18 dicit *om. Can S* 21 debet *Can* 23 vis] intentio *Can*; in *S* 25 athanasia *Can*; antonasia *S* 28–9 membrorum . . . a tabulis *om. Can* 30 scribit *Ch E*

tatum inuenitur similis: intellige quia in hoc est secretum composite medicine.

Et nota quod omne quod in composita ponitur medicina, aut propter iuuamentum radicis aut rerum sequentium ipsam poni debet. Sed Auicenna dicit in capitulo de tyriaca quod ante fuit inuenta compositio tyriace quam eius radix, que est caro tyri, quia tunc vocabatur metridatos. Sed postmodum Andromachus addidit carnem tyri et vocata fuit tyriaca.

Wrong theory and practice of narcotics and laxatives.

Sed quidam voluerunt quod radix opiatarum esset narcoticum, et radix laxatiuorum esset diagridium; quod male dixerunt, quia quodlibet laxatiuum habet suam propriam radicem. Tamen in hiis duobus moderni peccant, in dosi narcoticorum et laxatiuorum, quia quanta est differentia inter calorem naturalem et corpora antiquorum et modernorum, tanta est differentia in dosi scripta in libris antiquis codicis et in illa que debet hodie hominibus exhiberi.

Difference between ancients and moderns must be considered in calculating the dose.

Various reasons for adding different ingredients:

Et singulares medicine, que operationem radicis sequuntur in composito, sunt componende multis de causis. Vna est quia quandocunque radices sunt debilis operationis, ideo oportet ut addantur res que eandem faciant operationem et eas confortent, ut terra sigillata et radix diptani; ideo in tyriaca ponuntur ut confortent et sequantur operationes carnis tyri, que est radix tyriace. Et quandocunque ponuntur ut radix vel radices fiant fortioris operationis; sicut accidit quandocunque in solutiuo quod associatur zinziber turbit, ut fiat velocior eius solutio, ut dicit Auicenna in 2° canone in capitulo de iudiciis quarundam medicinarum.

e. g. to cure two diseases at once.

Et quandocunque ponuntur in composita simplicia que operationem duarum radicum sequantur, quia nostra intentio

5 debent *B Ch E S* 7 vocabatur] *Ch inserts* quia tunc operatur 10 opiatorum *Can* 11 larcōrum *S* 13 moderni] modis *Can S* indossi *Can* 14 lassatiuorum *Can* 16 dosy *B* 16–17 antiqui codicis *Can S* 18 et simplices *Can* 20 quando *Can S* 22 diptami *Can*; diptāni *S* 26 quandocunque *added in margin in B*; *om. E*; quandocunque . . . associatur *om. Ch* soluto *E* 27 turbith *Can*; turbit' *B* velociter *Can* dicit *om. Can S* 31 sequuntur quando *Can*; sequuntur quandoque *S*

est componere medicinam valentem duabus egritudinibus, ut supradictum est, vel pluribus | speciebus alicuius egritudinis, velut in fluxu lubrificatiuo. Nam fluxus lubrificatiuus prouenit quandocunque ex multitudine fleumatis, quandocunque ex mollicie stomachi, et propter has causas cibus lubricat. Et nostra intentio fuit curare omnes has species cum vno medicamine. Sed sola radix compositi non valebit nisi vni speciei: oportuit igitur ut adderemus res que suplent quod sola radix facere non poterat. Et quando in radicibus vel rebus sequentibus ipsas sunt virtutes principalia membra debilitantes, precipue in farmacia, ideo debent poni res que principalia membra confortent, precipue cor, et hoc est quod dicit Auicenna in primo canone in capitulo de dispositione medicinarum ventrem soluentium, ut ait: Et necesse est ut cum medicinis soluentibus ventrem medicine bene redolentes misceantur, ut membrorum virtutes conseruentur. Sed medicine cordiales ad hoc sunt proprie. Et G. in expositione regiminis acutarum Ypocratis dicit: Oportet ut permisceamus cum medicina laxatiua odorifera, ut sedetur per illa malicia medicine et non prohibeat ipsam ab operatione sua, cum virtutes earum sint subtiliatiue incisiue grossorum humorum.

B. f. 16^{r}, col. i.

Weakening drugs should be counteracted by strengthening drugs.

Et quandocunque in medicina composita ponetur aliqua simplex medicina, que est valde iuuatiua in eo quod volumus, sed nociua in re alia; quare est nobis necessarium ut permisceamus cum ea quod frangit partem nocumenti eius, precipue in farmacia, et nocumentum alterius simplicis non preparati, sicut bdellium et dragagantum sunt ponenda in farmacia in qua ponitur aloes, quia aloes soluit et mundat intestina, sed tamen excoriat et aperit orificia venarum.

Drugs helpful in one direction may be harmful in others, and so require correction.

Examples.

2 alicuius *om. S* 3 velut] sicut *Can* 4 fleumatis] *B S add* stomachi 5 stomachi *om. B S* 6 lubrificat *S* 7 Sed] *Ch E add* si 11 in farmacia] infirma *S* 13 principio canonis *Can S* 14 ut] nam *Can* 17 Ga(lienus) *Can* 18 acutorum *Can* 20 pro *Can* 25 sed] sed est *Can*; et est *S* 26 que *Can* 28 bidellium (*om.* et dragagantum) *S* dargagantum *Can*; dragg^{m} *B* 29 farinacia *Ch* in qua ponitur aloes] quo ponitur et dragantum quod aloes *S*

Cum ergo associantur ei dragagantum et bdellium, glutinat dragagantum quod abradit aloes, et bdellium constringit quod aloes aperit, ut dicit Auicenna in 2° canone capitulo de iudiciis quarundam medicinarum extrinsecus.

Correctives to poisons.

Item ponimus muscum cum confortatiuis que sunt de genere venenorum, ut auferat eius nocumentum, et sicut ponimus in medicinis, in quibus ingreditur elleborus niger, dauchum et petrocilium, ut malicia eius remittatur, ut dicit Auicenna in 2° canone capitulo de elleboro. Verumptamen preparatio medicinarum in quibus nocumentum existit est melior quam repressio.

B. f. 16^{r}, col. ii.

But the notion that the harmful element in laxatives can be extracted by separation (like poison from viper's flesh)

Sed quidam medici Latinorum docuerunt | maliciam reprimere laxatiuorum, sed ipsam maliciam sic docuerunt extrahere per viam preparationis, sicut separamus de caule virtutem nitrosam, cuius iuuamentum est diuersum a virtute terrestri que in eius substantia remanet, que est mala, et velut in tyro separamus virtutem venenosam a carne que curat omne venenosum, sed taliter essent preparande medicine simplices laxatiue, in quibus est nocumentum, per separationem nocumenti a iuuamento, sicut fit de predictis.

is one of the 36 errors prevalent among the Latins which I have mentioned elsewhere.

Sed hic est vnus de 36 defectibus qui sunt apud nos, et hoc est propter defectum librorum, vel quia sapientes occultauerunt hanc partem doctrine vel nescierunt; tamen ego scripsi nomina istorum defectuum alibi et partem huius doctrine, secundum quod didici a sapientibus diuersarum linguarum et literature.

'Abominable' medicines should be made palatable by sugar and honey.

Et quandocunque medicina composita est abhominabilis; ideo admiscendum est aliquid quod auferat eius abhominationem, sicut est zuccarum et mel, quia quando stomachus abhorret eam expellit et non proficit.

1 dragg^{m} *B* gluciant *B Can* 1, 2 bedellium *S* 1–2 glutinant quod abradit aloes et constringunt *E* 2 dragantum *Can S* 3 ut hoc dicit *Can S* 5 multum *Can* confortantibus *Can* 8 daucum *Can* petrosilinum *Can* dicit *om. Can S* 13 sicut *Can* 18 sed] sic *Ch* 20 separationem] *S adds* communem a] et *S* 30 zucharum *Can* 31 abhorreret *Can*

Et quandocunque intentio nostra est ut medicina quam componimus agat in membro longinquo, et timemus ne digestio prima et secunda frangat virtutem eius, tunc associamus ei medicinam que eam conseruet; et non timemus audaciam duarum digestionum, ymmo ducit eam sanam ad membrum ad quod intendimus, sicut ponimus opium in medicinis tyriace, ut dicit Auicenna in 5° canone.

A preservative may be necessary to prevent a medicine intended for a distant member being too quickly digested and losing its efficacy.

Et quandocunque est medicina quam componimus communis duabus viis, verumptamen intentio nostra est quod eius operatio sit in via vna, quare associamus cum ea aliquod simplex habens proprietatem ducendi illam ad illam viam quam intendimus, sicut est quando ponimus cantarides, vel aliquod habens eius proprietatem, cum medicinis diureticis aperitiuis ut conuertant medicinam ad partem renum et vesice et non venarum. Et quandocunque medicina quam componimus non est longinque submersionis propter proprietatem medicinarum in ea ingredientium, sicut est in dragaganto: ideo semina mundata cucurbitarum apponimus, ut eam faciant penetratiuam nec impediant eius operationem. Et nostra est intentio ut agat in longinquum; quare admiscemus ei rem facientem sibi viam ut eam penetrare faciat et impellat, sicut crocus miscetur cum rosa camphore et corallo, ut faciat ea peruenire ad cor. Et si nostra intentio | est ut agat in propinquo, admiscemus ei rem que figat prope et retardat eam, sicut semen raphani facit, quod, quando miscetur cum subtiliatiuis et penetratiuis, retinet ea in epate tanto spatio quod retineatur in ipsa operatione que intenditur, quia semen raphani commouet ad vomitum, quare figit res penetratiuas per contrarium. Et hec omnia predicta possunt colligi ex eo quod dicit Auicenna in 2° canone.

An ingredient may have to be added to direct a medicine to a particular part,

or to make it penetrate,

B. f. 16^{v}, col. i.

or to keep it fixed in one place.

Et quandocunque medicina composita excedit in aliqua qualitate: ideo consideranda est eius qualitas, vtrum debeat esse calida vel frigida vel temperata vel sicca vel humida,

Excess of any quality has to be corrected.

8 Et quandocunque] *Can and S om. from this point to p.* 114 *l.* 25 16 subuersionis *Ch E* 18 $draga^{to}$ *B*; $draga^{te}$ *E* opponimus *B* 23 si *om. B* 27 retineatur] *B corr. to* compleatur *in margin* opō *B*; opē *Ch*; ope *E*

vtrum secundum Plinium illud quod soluit debet esse calidum, ut Haly supra Tegni dicit hoc.

A cold disease requires a hot medicine, and vice versa.

Et si egritudo, contra quam componimus, est frigida, tunc componenda est medicina in qualitate calida secundum contrarium gradum frigiditatis egritudinis et e contrario.

Pains in the joints, if cold, need a hot laxative—if dry, a moist one.

Sed fallit hoc in doloribus articulorum in purgatione; quod si egritudo articulorum est frigida, debemus dare laxatiuum in caliditate temperatum, ut Auicenna in capitulo de doloribus articulorum hoc dicit. Item si egritudo hec est sicca, medicina debet esse ei humida, et e contrario inueni quod, quando ponitur de medicina in composito que alterat qualitatem, tantum debet poni de omnibus aliis simplicibus. Et hoc est verum in quibusdam medicinis compositis. Sed de caliditate medicinarum solutiuarum loquitur Haly in expositione Tegni, vbi dicit quibus modis fit euacuatio, et dicit quod plures medicine solutiue sunt calide, quare addunt in inflammatione et caliditate febris, sicut est ruber, quod est calidum et siccum, et ideo debet misceri cum eo frigidum et humidum, sicut est sirupus violaceus, et sic non augmentabit febrem. Debemus igitur illud nocumentum auferre ita quod nec perdat nec minuatur suum iuuamentum, et hoc potest fieri miscendo ipsum cum sirupo violaceo, qui ipsum infrigidabit et augmentabit nec aufert ei virtutem soluendi. Et ita faciendum est de ceteris laxatiuis que non currunt in contrariam qualitatem sui morbi.

Most laxatives are hot (and some dry) and tend to increase fever—so have to be mixed with something cold and moist

without losing their efficacy.

The ingredients should not cancel each other.

Sed res que in composita medicina ponuntur tales debent esse que ad inuicem se non expoliant, quia operationes medicinarum propter commixtionem aliquando sunt fortiores et rectificantur, et remouetur malicia ipsarum, sicut turbit associatum zinzibero et epithema associatum cum pipere | et sicut rosa et corallus et camphora cum croco, quia crocus facit eum venire ad cor, ut dicit Auicenna in 2° canone capitulo de iudiciis quarundam medicinarum extrinsecus.

B. f. 16^{v}, col. ii.

Et quandocunque destruuntur operationes propter admix-

17 ruƀ (ruber) *B*; *the word in E is uncertain*; *it may be* ruƀ *or* iull'; *above is written* i e reubarb'; *Ch has* rubis   19 et humidum *om. Ch E*   34 quando *Ch E*

tiones, velut cum anacardi ponuntur in tyriaca, corrumpunt carnem tyri, ut dicit Auicenna in .v.º canone circa principium.

A compound may have greater or less power than the sum of its component parts.

Et ex hoc potest sciri quod ex commixtione diuersarum rerum quandocunque resultat maior virtus quam in suis simplicibus inueniatur, quandocunque multo minor, ymmo destruunt se cum suis virtutibus et proprietatibus ad inuicem. Nam omnis medicina composita non solum habet iudicium cum suis simplicibus, sed ex tota forma sua, ut supradictum est.

A warning to the arrogant.

Caueant igitur arrogantes et proterui in vanitate studentes ex industria eorum componere medicinam, nisi sciant scientiam componendi, quod est impossibile eos noscere propter defectum illius partis scientie que docet cognoscere res que ad inuicem se expoliant, et hec consideratio est gratia compositi totius.

Proportion of ingredients.

Et postquam peruenimus ad omnes predictas considerationes, proportio ponderis simplicium in composito est consideranda. Nam ex vera proportione prouenit veritas, virtus, vel proprietas in composito, que in simplicibus non habetur, sed precipue in proportione radicis et rerum sequentium eius operationem. Nam in hiis duobus consistit proprietas et operatio totius compositi. Necesse igitur fuit ut de radice ponatur in composito bis tantum quam de aliquo alio istorum que eius operationem sequuntur: ut accidit quandocunque quod radices non debent esse eiusdem ponderis, et hoc accidit quando vna est altera leuior. Et si equalem querimus quantitatem in eis, oportet quod minus ponatur de vno quam de alio, et ita operationes erunt equales, sicut in pillulis cynoglosse, in quibus due radices ponuntur equales in quantitate sed non in pondere, scilicet mirra et thus. Et quantitas cuiuslibet rei simplicis sequentis operationem radicis bis tantum debet esse quantum quantitas cuiuslibet alterius rei simplicis, preter eam que qualitatem alterat, que ponitur in composito ut seruiat predictis

Relation of the root to other parts.

Quantity and weight.

Relative proportion of other parts.

1 decacardi *E* 26 accidit] Auicenna (*om.* quod) *Ch.*

B. f. 17^{r}, col. i.

duobus. Sed proportio rerum inter se differat | secundum necessitatem seruitii. Ideo necesse fuit ut ponatur minor de vno quam de alio. Et quandocunque accidit quod due sunt proportiones illarum rerum que operationem radicis sequuntur, et quandocunque plures, et hoc sepe accidit propter leuitatem et grauedinem simplicium, quia medicina simplex non est iudicanda secundum gravedinem et leuitatem, sed secundum operationem, et ideo contemplanda est operatio et pondus in proportione simplicium. Et propter hanc causam accidit quod quandocunque ponitur minus de vna radice quam de alia in vno composito, cum compositum constat ex duabus radicibus, sed simplicia, que in radicibus et sequentibus earum proprietatem deseruiunt, ideo inter se aliquando differunt in proportione ponderis, quia accidit quod quandocunque oportet plus ponere in composito de simplici quod eius naturam alteret, quam de illo quod ipsum trahat ad locum quem intendimus. Quia quandocunque accidit quod etiam simplicia, que in composito ponuntur, sunt eiusdem complexionis cum egritudine, et tunc apponendum est tantum de simplici alterante quod egritudinem non offendat. Et sicut accidit in aromaticis que ponuntur in composito, ut confortet membra, quod minus ponimus de aromatico cuius virtus superat suum corpus, ut muscus et camphora, quam de illo cuius corpus superat suam virtutem, ut galanga etc.

Weight modified by operative power.

Et nota quod composita medicina constat quandocunque ex pondere duarum proportionum, scilicet radicis et rerum sequentium proprietatem radicis, et est probata medicina, et hoc ideo accidit quia quandocunque vnum simplex facit quod suum est et suplet vicem alterius vel plurium. Et quandocunque compositum constat ex proportione trium vel 4^{or} vel plurium ponderum. Nam consideratione vera ex proportione ponderum prouenit in composito proprietas, que

Property of compound medicine depends on due proportion of two or more weights.

1 differant *B* 2 necesse] necessario *Ch E* 3 due] *B adds* sunt *in margin* 10–15 ponitur . . . quandocunque *om. Ch* 25 *Can and S om. from p.* 111 *l.* 8 *to this point* 26 quandocunque] *Can S add* tantummodo 29 quia *om. S* 32, 33 ponderis *S*

in simplicibus non habetur. Nam inueni quoddam compositum probatum quod statim, quando radix illius compositi a pondere sue proportionis cadebat, eius effectus peribat, siue plus siue minus de eius radice poneretur cum aliis simplicibus. Et simile est quod dicit Auicenna in 5to canone de tyriaca.

Sed vnum preceptum est diligenter attendendum in quo | plurimi medicorum errauerunt, quod farmacia non est iudicanda tantummodo secundum proportionem ponderum simplicium eius, sed secundum proportionem operationum simplicium eius; verbi gratia: si sic recipiatur colloquintida turbit et agaricum et diagridium an̄ ·ʒ· 1. et fiat farmacia composita, non debet iudicari hoc compositum secundum proportionem ponderis, sed secundum proportionem operationis. Nam si iudicaretur secundum proportionem ponderis quem humorem purgaret, purgaret fleuma, sed secundum proportionem operationis purgabit coleram. Nam plus purgat ʒ. i. diagrydii quam faciant .iii. ʒ. aliarum rerum purgantium fleuma, que ibi apponuntur. Et in hac proportione multi compositores compositarum medicinarum fuerunt decepti, credentes quod pondus faceret operationem et non proprietas et operatio que est in re. Taceant ergo illi qui dixerunt benedictam, que in antidotario Latinorum inuenitur, principaliter purgare fleuma, nec credatur inuentori qui eam composuit et qui rescripsit in suis laudibus quod purgat fleuma principaliter. Nullus sani capitis hoc credere debet. Nam quicquid in carta scribitur illud legitur, et si falsum scribitur falsum legitur, et si verum verum. Sed compositam medicinam nullus potest rescribere nisi sciat scientiam componendi. Nec credas laudibus compositarum medicinarum nisi examinaueris medicinam

B. f. 17^r, col. ii.

A compound medicine is not to be estimated according to the proportionate weights of the things composing it.

A frequent error of makers of compound mixtures.

Stupid mistake of the author of the 'Benedicta'.

Do not believe the praises of composite medicines until you

8 farinacia *Ch*; firmatio *S* 9–10 ponderum . . . proportionem *om.* *B Ch E* ponderis simplicij *S* 10–11 sed . . . eius *om. Can* 11 verbi] de *Can* 14–16 sed secundum . . . ponderis *om. Can* 15 operis *Ch E* 16 purgaret[2] *om. S* 17 operacionum *Can* 18 iii.ʒ] ½ *Can*; iii.z. *Ch*; iii.a. *B*; est *S* 25 scripsit *S* 26 purgetur *B Ch E*; et purgetur *S* 27 carta] falsa *Can*; fl'a (falsa *or* fleuma) *S*

have investigated the medicine rationally.

per ratiocinationem. Si hoc feceris, aut proficies aut non offendes. Nam si medicus non potest prodesse, non debet obesse vel offendere, ut Ypocrates dicit testante Haly in expositione Tegni, vbi loquitur de castigatione medici, et Galienus in secretis: Ego non vitupero medicos altarium qui curant cum cibis sacrificiorum, quia error cibi cito corrigitur. Sed medicina aut nocet plurimum aut ducit. O quam pauce laudes medicinarum compositarum sunt vere, et diu est quod tales errores inuaserunt medicos, de quo valde dolendum est.

Need for fermentation.

Oportet igitur medicinam quamlibet compositam fermentari, quia compositum absque fermentatione non valebit, ut dicit Auicenna in .v.^{to}. Nam propter fermentationem ex pluribus rebus simplicibus fit vna medicina, et ex pluribus qualitatibus fit vna qualitas, stans, operans, adquirens aliam virtutem quam in suis simplicibus existat. Et ex hac fermentatione adquiritur per accidens sublimitas iuuatiua ipsi composito, que in simplicibus non habetur, velut in tyriaca existit. Quia nisi fermentetur compositum confortatiuum, non | confortabit simplicia debilitantia membra, nec calidum temperabitur a frigido, nec e contrario, nec rectificatiuum franget nocumentum nociui, aut dulce dulcificabit amarum, nec penetratiuum ducet secum grossum et non penetratiuum, nec stans retardabit currentem, nec sciens viam faciet diuerti nescientem ad viam quam intendimus. Sed quelibet simplex operabitur secundum suum effectum et non secundum operationem adquisitam ex forma compositi, et ita non est verum quod medicina composita habet iudicium ex tota forma sua, velut princeps et sapientes omnes testantur, sed solummodo ex simplicibus.

B. f. 17^{v}, col. i.

1 Si] et *Can* 3 Ypocrates] Ysaach *Can* 5 Galienus] G. *B Ch E* 7-8 O quam pauce *om. Can* 8 aut sunt *Can* 11 igitur *om. Can S* quamlibet] quomodolibet *Can* 12 compositum *om. Can* 13 5° *Can* fermatacionem (!) *B* 15 et acquirens *Can* 20 confortabit] *Added later in margin in B*; *om. Ch E* 22 aut] nec *Can S* 24 putrantium *S* 24-6 nec sciens viam faciet ductum nescienti viam ad quam incedimus *Can* 25 diuerti] duci *S* 26 secundum *om. S*

Time required for fermentation varies.

Sed hec fermentatio fit per spatium temporis, sed differt, quia quedam in breui, quedam in longo, quedam in mediocri tempore, fermentatur. Sed omne compositum liquide substantie fermentatur in die naturali. Sed medicine que sunt grosse substantie quedam fermentantur in xl, quedam in xv, quedam in sex mensibus. Sed non inueni in libris sapientum, qui ad nos peruenerunt, de hac intentione, scilicet de spatio temporis, certam doctrinam, nisi quod medicina opiata non debet exhiberi ante sex menses. Et quedam possunt ante illud tempus exhiberi, ut in libro Serapionis inuenitur; et hoc dictum est propter fermentationem. Sed tempus solum fermentationem non facit, nisi aliud superueniat artificium, quod hic non rescripsi ne medici sermonis attribuant sibi hoc.

Little information in the authorities.

Fermentation for laxatives and opiates.

Sed duo sunt medicamina quorum proprietas sepe fallit propter defectum fermentationis, scilicet opiata et laxatiuum. Intellige in hoc quod est vltimum in hac arte, quia nec narcoticum in opiata nec diagridium in laxatiuo cum suis simplicibus fermentatur, nisi in vnam reducatur naturam. Sed ut ad hoc perueniamus, tria sunt necessaria, spatium temporis, bona commixtio et solutio rei nociue.

The great usefulness of this chapter.

Hoc igitur capitulum est magne vtilitatis et iuuamenti et precipue in compositis laxatiuis, cum plures sunt species egritudinum compositarum quam composite medicine. Et quicunque hoc capitulum intellexerit et proprietates et operationes rerum simplicium sciuerit et egritudinum species cognouerit, ad cognitionem harum rerum perueniet, scilicet omnem compositam sciet facere medicinam et male compositam ex imperitia componentis corrigere et emendare, et errorem ponderis accidentem propter antiquitatem temporis vel diuersas translationes per intelligentiam istius nostri reuelati capituli emendabit.

1 differt] dicit *Ch E* 2 in[2] *om. Can* 4–5 in die . . . fermentantur *om. Can S* 5–6 40 . . . 15 *Can* 9 operata *B Ch*; optata *S* 11 fermatōȝ *B*; firmacōȝ *Ch* 12 tempus] tunc *Can* 13 scripsi *S* medicina *B Ch* 14 *B Can Ch E S all read* sermonis 15 Sed in libro de 5ª essentia *Can* 18 opiato *Can* 21 bona] bina *B Can*; viua *Ch E* 28 peruenit *Can* 28–9 sciet facere . . . compositam *om. Can*

B. f. 17v, col. ii.

Antidotes mentioned by name.

Viso qualiter antidota | componuntur, et a sapientibus composita, in quibus cecidit error, possunt corrigi et emendari, nunc ergo de antidotis que nominibus non carent, secundum quod elegi ex libris Arabum, Grecorum et Latinorum, breuiter videamus: sed de antidotis que carent nominibus nichil dicam, quia ad ea a particulis supradictis remittere non possemus: medicationis ordinem prosequendo et eorum laudes rectificando, ita quod quilibet istius scientie lector, in qua specie egritudinis quodlibet antidotum valeat, poterit rectissime iudicare. Et dicitur antidotum ab anti, quod est contra, et datum, i.e. contra infirmitatem datum: et eadem ratione simplex medicina antidotum dici potest. Sed ideo composita medicina antidotum appellatur propter operationem nobilem que in ea sepissime inuenitur.

Opiates.

Et primo incipiamus scribere de opiatis, in quarum operatione plurimi errauerunt; et ideo hoc accidit quia in materialibus egritudinibus ante purgationem nisi in quibusdam causis non sunt dande. Nam si dantur ante purgationem faciunt egritudinem elongare, quia materiam crudam reddunt, et hoc cum Auicenna consonat in hoc capitulo de quartana dicens: Si tiriacam dederis in principio quartane, compones quartanam cum quartana. Vnde non debet exhiberi egritudinibus materialibus ante purgationem nisi materia sit reumatica, et tunc potest in tribus casibus exhiberi, videlicet quando humor ad membrum fluit principale, et quando materia est valde pauca, vel liquida, ut posset per opiatam pauca consumi et liquida inspissari.

The moderns consider three things in compound antidotes.

Et notandum quod tres sunt res que a modernis in antidotis compositis contemplantur; scilicet elleborus niger, diagridium et opium. Quarum vna est de antidotis sapientum omnino preparanda, alie due sunt proportionande

3 ergo] autem *Can Ch* 4 legitur in *E* 7 possumus *E* medicaminis *E* 9 antidodum *S* 10–12 valeat . . . antidotum *om. S* 12–13 dici . . . antidotum *om. Ch E* 16 compositione *Can* 17–19 nisi . . . purgationem *om. Can* 19 facit *B Ch E S* 20 reddit *B Ch E S* in hoc] et in *Ch*; et hoc *E*; *om. Can* 21–2 dicens . . . quartana *om. Can S* 24 materia] egritudo *Can*; medicina *S* 26 materia] medicina *S* 27 possit *Can* 29 antidotis] *Ch adds* sapientum

et preparande aliter quam in antiquorum scriptis reperiantur. Et qui hoc preceptum non attendit, aut sepe interficiet aut plurimum sic offendet.

Et per predicta patet quod opiata non est exhibenda in aliqua egritudine materiali, et precipue in carnoso corpore, nisi precedat purgatio vniuersalis, nisi in casibus supradictis. Tyriaca est subtilior medicinarum compositarum et melior earum propter multitudinem sui iuuamenti et proprie in venenis que sunt ex puncturis vel morsibus, etc.

Purgation must precede use of opiates.

Treacle, antidote to poisons.

5 naturali *S* 7 subtilior *corrected in margin to* sublimior (*later hand*) *B*; sublimior *Can*; melior *Ch*

Ad. f. 259.
B. f. 17v, col. ii.
Can. f. 25r.
D. f. 45.
E. p. 655.
S. f. 20r.

Liber de Conseruatione Iuuentutis.

Discourse on the preservation of youth addressed to my brother E.

B. f. 18r, col. i.

INtendo componere sermonem rei admirabilis domino meo fratri E., | cuius vitam Deus prolonget, exponendo illud quod occultum est in quibusdam libris antiquorum, videlicet iuuenem a senectute retardare et ipsum in iuuentute diu retinere, et senem quoquo modo ad iuuentutem reducere. Et hoc fit per conseruationem virtutum et spirituum et naturalis caloris in suo esse et temperantia, et ipsorum confortationem et duplicationem in eorum effectu conseruare. Nam quamdiu virtutes et spiritus et calor naturalis non debilitantur, nec pili canescunt nec cutis corrugatur, homo iuuenis reputatur. Nam canicies et cutis corrugatio accidit ex debilitate caloris naturalis declinantis ad frigiditatem et siccitatem, ex quibus nutrimentum corrumpitur in membris. Nam cibus peruenit ad quodlibet membrum et digeritur a calore naturali illius membri. Cum ergo debilitatur ille calor aliqua occasione, corrumpitur ille cibus, et tunc accidit corrugatio cutis et canicies, ut patet in senibus cum sint frigidi et sicci. Sed hoc quandocunque non accidit ex senectute sed ex infirmitate, et dicitur canicies violenta vel innaturalis, sicut in morphea vel scabie, et tunc pili albescunt cum albedine corii, et causa est quia infirmitas est in cute.

Conservation of natural heat.

1 *Title from Ad which reads:* Incipit liber de conseruatione iuuentutis (alberti colon. *in another hand*). *D has* Incipit liber Bacon' de sermone rei admirabilis. *No title in B Can E or S, which, however, all begin with a large capital. In Ch in late hand:* De iuuene a senectute tardando et sene ad iuuentutem reducendo liber 2–3 domino meo S. *Can*; domino meo fratri et *B Ch E*; domino E. fratri meo *Ad* 4 occultatum *Ad* 5–6 in iuuentutem diu *Ch*; diu iuuentute (*om.* in) *Ad* 6 quoquo modo] aliquo modo *Can*; quodammodo *Ad*; quocunque modo *D* 8 naturalem colorem *Ad* 9–10 et in eorum effectu (*om.* conseruare) *Ad*; et eorum effectum conseruare *S* 10 spiritus et] *Ch adds* cutis corrugacio accidit 11 debilitatur *B Can* nec[1]] nisi *Can* 12 homo . . . reputatur *om. Ad* canicies] *Ad adds* pilorum 13 accidunt *Ad* 14 in quibus *Can*; ex quo *Ad*; ex cuius *S* 16 dirigitur *Ad* 17 ergo *om. Ad* 19 Sed] Et *S* 20 quandoque *D* 21 et] etc. *or* et tunc *Ad* morfea *Ad Can* 22 vel] et *Ad D*

Canicies autem est propter debilitatem caloris qui exit a corpore; nam senectus infrigidat et desiccat corpus. Et hec senectus et debilitas accidit duobus modis: scilicet ex longo cursu nature debilitate, et hoc dicitur esse omni tempore, licet multum per sapientiam possit retardari; altera ex necessitatibus et ex curis pessimis, et ante tempus, et hec senectus potest ex toto auferri; et qualiter auferatur et retardetur, inferius dicam. Et quia frigidum et siccum dominantur in sene naturaliter, ideo sanguis eorum est paucus et virtutes debiles et calor innatus debilis in digerendo cibum, eapropter aggregantur in corporibus eorum humiditates multe et humores crudi, et in eis debilitantur spiritus, et dominatur in eis debilitas naturalis naturaliter in eo quod eorum corpora fiunt frigidiora quam ante fuerant. Et cum sint frigidi et sicci, indigent eis que calefaciunt et humectant calefactione et humectatione equali ex cibis et potibus et medicinis conuenientibus ex tactu. Et cum sint diminuti | sanguine, indigent eo quod addet in illud ex cibis et potibus et bonitate digestionis, exercitio et gaudio. Et eius species sunt multe, sicut aspectus rerum bonarum, ut colores boni et status alti et vasa pretiosa. Et de melioribus rebus et reliquis causis sunt ea que faciunt ridere et letari, et reliqua que sunt similia hiis, ut sunt suffumigationes bone et odores delectabiles. Et cum virtutes corporis sint debiles, ideo indigent eis que confortant ipsas ex cibis et potibus et

Weakening of natural heat due to course of nature (partly curable),

or to accidents; and this premature old age is wholly removable.

The old are naturally cold and dry,

and require things which produce warmth and moisture,

B. f. 18r, col. ii.

and blood,

and stimulating pleasures.

1 Set canicies a^t'ιι (*sic*) est ex debilitate *Ad* 3 accidunt *Ad* 4 debilitato *B*; debilitata *S* 5 licet] sed *Can* multum] interitum *Ad* 6 ex² *om. Ad* pessimis] *Ad adds* i. e. ex laboribus superfluis et²] *Ad adds* hoc 11 qua propter *Ad* 12 multi *Can* spiritus] *Ad adds* 3, scilicet spiritus vitalis, naturalis, animalis, et dicunt medici spiritum vitalem esse in corde, naturalem in epate, animalem in cerebro; sicud apud ipsos sunt 3ª membra principalia, sicud cor, epar, et cerebrum, sic est in unoquoque membro suus spiritus ut dictum est (*later marginal note*: 'hic nota quod 3 sunt spiritus in homine') 13 in² *om. Ad* 14 fiunt] sunt *Ad S* 15 sint] sicud *Ad* calefiunt et humectant *Ad*; calefaciant et humectent *Can* 16 humectatione] humidatione *Ad* potibus] potubus (*as always*) *Ad*; *Can adds* et bonitate indigestionis 17 ex] et *Ad Can D S* 18 addet in illud] illud addat *Ad*; addat in illud *Can* 21 altus *S*; alteri *D* 23 ut sunt] et *Ad* odore *B Ch D* 24 sunt *Ad Can D* ideo] tunc *D*; *om. Ad* 25 confortent *D*

speciebus exercitii, et medicinis habentibus hanc nobilem proprietatem, et hoc est occultum. Et cum sint humiditates corrupte et humores crudi aggregati in eis, indigent eis que extenuant et desiccant superfluas humiditates et digerunt humores crudos et scincerant corpus ex medicinis nobilibus animalis et plante; sed tantum vnum istorum facit planta, et animal duo.

De corrugatione cutis.

Wrinkles remedied by external application to the skin,

Et cum sit cutis corrugata et inueterata, indiget eis que innouant eam pulcritudine puerili et mundificatione et rubificatione: et hoc fit duobus modis, scilicet per detersionem cutis, et per purificationem sanguinis et mundificationem eius. Detergitur autem cutis quando detergitur illud, quod est super eam, decoctione subtili, et subtiliatur cutis cum abstersione leui et hoc faciunt linimenta et ablutiones etc.: sicut oleum nitri vegetis preparatum, ius radicis lilii preparatum, et succus radicum aliarum herbarum preparatus, sicut dragea, dragantia, viticella, etc., et vnguentum argenti et aqua radicis leuistici et aqua ordei. Hec omnia albificant et clarificant et mundificant et humectant faciem.

De mundificatione sanguinis.

and by purifying the blood.

This is done by digestible food,

Mundificatur sanguis et purificatur multis modis: vno modo per cibaria generantia laudabilem sanguinem, sicut vinum subtile odoriferum, et cibaria laudabilem chimum

1 exerciciis *Ad* 3 aggregata *Ad* 4 dissicant *Ad* 5 digerant *Ad B Can E* sincerent *Ad*; sincerant *Can* 6 sed] et *D* 6 animalis *om. S* 7 animal] aleris *Ad* (*with later marginal note,* an minera); animalis *S* duo] dico etc. *Can* 8 De corruptione cutis *Can* 9 eis] omnino *D S* 10 eam] *Ad adds* et inducent eam 10–11 rubedine *D* 13 eius] *Ad adds* et hoc fit cum cassia fistula et cum tamarindis autem *om. Ad* detergitur[2]] *Ad adds* ab ea 14 supra *D* detectione *Ad* 15 substersione *S* liniamenta *Ad E* (*Ad om.* et[2] . . . etc.) 16 nitri] rerum inter *Ad*; inter *D* lilii *om. Ad and inserts* et abluciones etc. virginis 16–17 ius . . . preparatum *om. Ch E* 17 radicis *Can* alarum *Ad* preparatum *Can S* 18 dragea *om. Can D* et dragnora viticelle etc. *S* 19 radicum *Can* ordei] olei *D* 20 clarificant *om. Ad* faciem] *Ad adds* sed non detergunt 21 *Heading found only in Ad*; *E has two headings in margin:* de decoratione faciei etc. *and* de mundificantibus sanguinem 23 per *om. Ad* 23–4 sicut vinum] ut tot^m^ *Ad* 24 chimum] *Ad leaves blank in which later hand has inserted* sanguinem

generantia, sicut sunt ea que perfecte coquuntur ut facilius et melius digerantur, quoniam in digestione est radix boni sanguinis generati et mali; alius est per assumptionem rerum purificantium et mundificantium sanguinem, cuiusmodi sunt mirabolani conditi, perle, vel succus, sicut camphora, et sicut assumptio illarum rerum aliarum que humorem superfluum purgant. Et cum pili sint cani, indigent | si possibile esset ut caderent, et loco eorum renascerentur nigri deinde prohibentes ne cani fiant. Et omnes istas res inferius declarabo et explanabo explanatione perfecta cum Dei adiutorio. Sed in primis ponam omnia illa ex quibus senectus prouenit; deinde omnia illa que accelerant hominem ad senectutem et festinant; deinde omnia que iuuenem retinent in iuuentute et senem faciunt ad iuuentutem redire.

and cleansing drugs.

White hair.

B. f. 18^{v}, col. i.

Plan of the treatise.

Sed incommoditas senectutis contingit ex debilitate caloris naturalis, cuius debilitas accidit duobus modis: vno modo scilicet ex cursu naturali debilitante, alio modo ex accidentibus et curis pessimis. Sed accidentia et cure pessime sunt multe, ex quibus calor naturalis debilitatur, sicut sunt ea que spiritus minuunt et virtutes, et subita euacuatio humorum et coitus nimius et flebotomia nimia: quod si acciderit, subueniendum est cum cibis et potibus bene nutrientibus, ut ius gallinarum et galline, edi, perdices, fasiani, et longo sompno et quiete et taciturnitate, et cum rebus odoriferis confortare visum et auditum, ut non videat nec audiat quod sibi displiceat, et iaceat in lecto molli.

Old age comes from weakness of natural heat, which weakness results (1) from course of nature, (2) from accidents and bad treatments.

Of the latter there are many, e.g. sudden evacuation, excessive coition and bloodletting.

Remedies.

1 coquentur *Ad* 2 digerat *E* 3 generatiua *Can*; generata *D S*; et generati *E* et mali *om. Ad Can D S* 4–5 cuius *Can S*; sicut (*om.* sunt) *Ad* 5 perle] per se *D*; perrole *E* 5–6 perle, succus fumiterre et camphora *Ad* canfora *Can* 6 aliarum rerum (*om.* illarum) *Can D S*; aliarum *om. Ad* 8 essent *Ad* loca *Can*; in loco *Ad* eorum *om. D* 9 deinde prohibente *Can*; de [inde *inserted later*] prohibens *B*; de prohibentibus *Ch*; de prohibentis *E*; Deinde prohibesc'e *Ad*; deinde prohibens *D S* 11 illa *om. Ad* 15 contingit] est vel continet *Ad* 16 naturalis *om. D* modo *om. Ad D* 17 debilitante] nature et debilitate *Ad*; debilitate *Ch D E* 22 accidit *D* bene *om. D* 23 gallinarum] gallorum *Ch D E* 24 et[1]] cum *D* 25 odoriferis] *Can D add* et confortare] et confidat i. e. cesset et prohibeat *Ad* ut] et *Can* 26 iaceat *om. Ad*

Excessive coition.

Notandum autem quod coitus nimius mouet materiam ad exteriora et excitat calidum vaporem putridum venientem ad superficiem cutis, et ita facit cutem corrugare ante tempus. Sed leprosis, et paratis ad lepram, et scabiosis, omnino vitandus est. Calor enim naturalis ex hoc deficit, et cibum, secundum quod oportet, non digerit. Viri tamen et mulieres coire debent, cum appetunt, nature non repugnare.

Results of excessive blood-letting,

and of its neglect.

Ex flebotomia nimia accidit festina senectus et ydropisis, et virtutis aduenit destructio, et stomachi, epatis et cordis debilitas. Ex negligentia enim ipsius, cum quis ea indiget, accidunt egritudines multe, scilicet apoplexia, lepra, scabies, varioli et morbilli, sinochus, paralisis, emorroide, peripleumonia, et pleuresis.

Things which generate phlegm hasten old age,

B. f. 18v, col. ii.

e. g. fresh fruit,

fish,

Et sunt alia que festinant et preparant senectutem, sicut ea que generant fleuma putridum indigestum et aquosum, quia fleuma opilat et non permittit calor membra vigere: sicut sunt fructus, pisces, olera, lac, triticum coctum, pultes, et potus aque plurime, et tangere cum eis que sunt frigida, sicut camphora et aqua. Sed cum dico fructus, | intellige de fructibus recentibus. Nam in fructibus recentibus est humiditas corruptibilis, ex qua humor aquosus generatur et fleumaticus, qui corrumpitur in membris et generat canos et cutis corrugationem et fleuma corruptum. Sed pisces opilant et fleuma corruptum generant et putridum, et in omnibus complexionibus sunt mali, sed calidis et

6–8 *Cf. Rhazes Almonsoris* iv. 6: Viri et mulieres cum appetunt coire debent, quod quidem faciant naturae non repugnantes.

---

1 autem *om. Ad Can D S* 3 corugari *Can* 6 oportet] apparet *Ad* 7 coire] coyre *Can*; *om. Ad*; *E adds* non nature non] nec *Ad*; nec non *B Can Ch D E S* 10 et[1] *om. Ad* virtutum *D* et[2]] ac *Can*; *om. Ad D S* 13 variole *D*; varioles *S* mordilli *Ad* synochus *Can* et emeroyda *Ad* 13–14 perepleumenia *Ad*; periplen[a] *S* 15 properant *Ad* 16 putridum] *Ad adds* et 17 quia] et *Ad* calorem *Ad Can D S* membri *Can D*; per membra *Ad* 19–20 aque ... fructus *om. S* 20 aqua rosacea (*om.* et) *Ad* 20–1 intelligo de fructubus *Ad* 22 corrupta *D* quo *Ad B Can Ch S* 23 et fleumaticus] et flamaticus *Can*; *om. Ch* qui] et *D* 25 corruptum *and* et[2] *om. D* 26 sed] scilicet *B Can E* calidi *E*; calidum *Ch*

siccis nimis, et ipsi omnes sunt mali, sed marini minus, et qui generantur in aquis currentibus et fluminibus petrosis. Olera similiter corrumpuntur in stomacho, et fleuma generant putridum lac et pisces et triticum coctum et pultes et potus aque plurime. Omnia hec putridum generant humorem, sed tangere cum rebus frigidis faciunt augmentare putredinem sub cute, sed calidum consumunt, sicut est oleum nitri vegetis. Hec omnia supradicta augmentant putrefactionem.

Vegetables, &c.

De hiis que obuiant putrefactioni.

De hiis que obuiant putrefactioni sunt hec: pomagranata, aurum, perle, succus crudus fumiterre, spicanardi, cuscute, mirabolani conditi, ypericon, et serum, precipue caprinum. Et cum acciderit quod generaliter fit fleuma corruptum in corpore, subueniendum est cum hiis que purgant fleuma putridum, ut est puluis de aloe loto, et mastice, et elleboro nigro purgato et preparato. Nam ipse purgat fleuma putridum et melancoliam, et conuertit hominem de mala complexione ad bonam, et facit eum acquirere bonam iuuentutem. Purgatio huius rei est ut sumatur vomitus post cibi saturitatem, ut alibi docetur; et subueniendum est cum hiis que consumunt, ut dyanthos, que consumit fleuma et melancoliam cerebri, et canos retardat et sensum corroborat; et diacameron quod digestionem confortat et fleumaticas superfluitates consumit, vbicunque sint in corpore; et zinziber quod consumit humiditatem

Things which resist putrefaction.

Purgation of phlegm.

A powder.

Vomiting, and various drugs.

1 sicci *Ch E* nimis] minus *Ad Can D S* 3 Oleo sicut *Can* flegmaticum *Can D* 4–5 putridum . . . generant *om. Can D S* 6 sed] etiam *D* tangere] unctiones *Can* facit *D* 7 calida *Ad*; calide *Can* consumit *D* sicut] sed *Can* 8 nitri] inter *D* 10 *Heading in Ad. Heading in D runs:* Hec sunt que iuuenem retinent. *Other MSS. omit heading* 11 De hiis] Hec *Ad* De hiis . . . hec *om. D* que] *Can adds* autem 12–13 spicanardum tuscute *S* 14 Et cum] si *Ad* generatum sit *Ad* 16 putridum] *Ad adds* generatum puluis ex aloe leto *Ad* 17 elebore *Ad* et preparato *om. Ad* 18 et[1] *om. Ad* melancolicum *D S* 19 eum] ei *Ad S*; *om. B Ch E* 20 huiusmodi *D* 21 vomitum *Ad* dicetur *Ad* et] set similiter *Ad* 23 melancoliam] multitudinem *Ch E* 24 sensum corroborat] secundum quantitatem roborat *D* ducameron *Can*

generatam ex piscibus et fructibus. Et sicut kebuli conditi, qui proprie consumunt et desiccant fleumaticas superfluitates stomachi, et ipsum confortant, et sanguinem clarificant, et valent melancolicis, et, si qualibet die sumantur, conseruant iuuentutem et faciunt redire adolescentiam et retardant caniciem. |

B. f. 19r, col. i.

De euacuatione humoris fleumatici.

Evacuation of the phlegmatic humour.

Vomiting, and how to promote it.

Primum medicamentum et cura huius rei est euacuatio humoris fleumatici in omni hora, cum vomitu sumpto post cibi saturitatem, vel semel in vnoquoque mense, et clisteria purgantia humorem talem. Et talis saturatio debet fieri cum appetitus abest, et hoc est mane in prima hora, et cum rebus acutis et contrariis stomacho, sicut cepe et caseus. Nam cibus, qui auide percipitur, cito incorporatur et non de facili per vomitum emittitur. Et vomitus proprius est ut ponatur j·ʒ pulueris ellebori albi et x·ʒ vini per noctem; mane autem coletur et offeratur. Et clistere: hoc est ut recipiatur succus mercurialis ebuli et sambuci foliorum equaliter, et parum bulliat et coletur et per clistere iniciatur. Et hoc et idem secretum est maximum. Et licet ista duo genera medicaminum dicantur propria ad hoc, tamen non est negligendum quin purgetur aliquando per inferiora cum

Laxatives downwards.

rebus que purgant fleuma et melancoliam. Nam melancolia reddit hominem tristem, et tristitia properat senectutem. Et proprium medicamen quod ad hoc facit est elleborus niger preparatus secundum hoc quod scripsi in capitulo de preparationibus medicinarum laxatiuarum; quoniam de proprietatibus eius est, quod ipse mutat hominem de sua

See my chapter on the preparation of laxatives (Epist. Cap. 6).

1 et similiter kebuli ebuli (*om.* qui) *Ad* 5 et[1] *om. Ad* 6 caniciem] *Can adds* etc. 7 *Heading in D:* De hiis que faciunt senem iuuenscere 9 sumpta *S* 10–11 et clisteribus purgantibus *Can*; et obstīā purgancia *Ad* 13 sepe *B E S* 14 recipitur *Ad* non *om. Ad* 16 j.ʒ] vna dragma *Ad*; nit' .ʒ. *S* et] in *Ad Can D* x dragmis uini *Can*; 4^or^ ʒ vini *Ad*; ·iii· x ʒ vini *S* 17 autem *om. Can D S* afferatur *Ad* 17–19 et offeratur . . . bulliat et coletur *om. Can D S* 19 per] in *Ad* 20 et hoc est secretum maximum *Can* et[2] *om. D* idem] illud *Ad* 21 adhuc *D* 22 negligendum] intelligendum *D* quin] quia *B E*; quoniam *S* per inferiorem partem *Ad* 24 preparet *Ad* 27 quoniam] et ipsum per vitam meam *Ad* 28 ipsa *Ad*

complexione mala et facit ipsum adquirere complexionem bonam iuuenilem, et in preparatione est totum secretum quod occultauerunt sapientes.

De hiis que consumunt.

Things which consume phlegm: hot electuaries and spices, especially dissolved in wine.

sint diuersarum specierum, scilicet contrariarum vel medii et contrarii, et in hoc pariter continget quod sint in eodem gradu intensionis vel in diuersis inter ea que commiscentur, quandocunque sunt 2 tantum, quandocunque plura.

Method of procedure

Cum igitur duorum commixtorum quantitates sunt diuerse et intensiones formarum confusarum in diuersis gradibus eleuate in linea, siue fuerint ille forme eiusdem speciei siue contrariarum specierum, siue medie et contrarie, que est proportio quantitatis vnius partis commixti ad aliam, eadem erit proportio differentie que est inter gradum forme confuse et gradum maioris partis commixti corporis ad distantiam que est inter eundem gradum commixti et gradum minoris partis. Exempli gratia; detur aqua 2 librarum calida in 6° gradu linee sumpto in respectu alicuius puncti in eadem linea contenti: detur etiam alia aqua vnius libre calida in 12° gradu respectu eiusdem puncti, facta commixtione istarum aquarum, caliditas commixti erit eleuata in linea intensionis per 8 gradus respectu predicti puncti, quia distantia que est inter 6 et 8 est subdupla ad distantiam que est inter 8 et 12, sicut aqua vnius libre est subdupla ad aquam duarum librarum. Et e conuerso vero, si aqua duarum librarum fuerit eleuata in linea per 12 gradus et aqua vnius libre | per 6 gradus, erit ipsum commixtum calidum in gradu 10 per predictam regulam.

illustrated.

B. f. 22^{v}, col. ii.

If the mixture contains more than two parts it is best to work out the product of two parts first, and then combine the product with the third, and so on with each successively.

Cum autem plures quam duo fuerint partes commixti corporis et fuerint diuersarum quantitatum et diuersarum intensionum, expeditius est primo inuenire gradum intensionis duarum partium per predictam regulam et postea gradum intensionis partis constantis ex tertia parte et parte iam collecta et nota, et sic deinceps, quotcunque fuerint partes et quarumcunque quantitatum. Sic enim notus erit

4 2] tria *Can* plura] *Can adds* etc. 5 *New chapter in Can S* 6 perfusarum *Ch E* 7 siue[1]] qua *Can*; que *S* 9–11 ad aliam . . . commixti *om. Ch E* 10 d̄r̄t *Can* 13 duarum *Can* 14 sumpte *B Ch E* in [1]] et *S* 15 aliqua (*om.* aqua) *Ch*; aliqua aqua *E* 18 g^{u} *Can S* 19 sex *Can* 21 Et *om. Can* vero] *Can adds* erit 23 calidum] *Added later in B*; *om. Ch E* pre *B* 27 expeditius est] expedit *Can* 29 gradum] igitur *Can* 30 quecunque fiunt *S*

gradus intensionis totius commixti: notum etiam erit quantum quelibet pars commixti adiciat vel subtrahat in intensione totius: aliter autem facta collatio ex omnibus partibus est difficilis plurimum.

1 gradus . . . erit *om. Can* mixti *E S* 2 adhiciat vel subtrahatur *S* intensionem (*om.* in) *Can*; intencioni (*om.* in) *S* 3 autem] enim *Ch E* ex omnibus partibus] *Added later in B*; *om. Ch E* 4 plurimum] *Can adds* etc.; *in Can and S the* 'Expositio' *follows*

B. f. 22^{v}, col. ii. Can. f. 42^{r}. E. p. 669. S. f. 31^{r}.

De Erroribus Medicorum secundum Fratrem Roggerum Bacun de Ordine Minorum.

Medical men are ignorant of simple medicine, and at the mercy of uneducated apothecaries, who overcharge them and supply them with old, false, exhausted, and artificial drugs.

VUlgus medicorum non cognoscit suam simplicem medicinam, sed committit se rusticis apotecariis, de quibus constat ipsis medicis, quod non intendunt nisi ipsos decipere. Vnde decipiunt eos multis modis. Vno modo in pretio rerum, vnde grauantur patientes. Aliis modis in substantia rerum: primo quod vetera pro nouis eis tradunt; 2° quod vnum pro alio, ut os fictum pro osse de corde cerui, et lignum in quo crescit aloes pro ipso ligno aloes, et sic de infinitis; 3° res quarum virtus extracta est per decoctiones pro rebus virtuosis, ut lignum aloes coctum pro crudo, propter quod signanter dicit Auicenna: Accipe lignum aloes crudum: et reu similiter decoquitur et virtus extrahitur et multa alia; 4° sophisticata pro veris, ut balsamum sophisticatum, tiriaca, muscus, carnes tyri, et multa.

In compound medicine they go entirely astray, and are guilty of 36 main defects and countless subsidiary ones: (1) They have no purgative for inflamed humours except against red bile.

Deinde in medicina composita totaliter errant, et sunt 36 defectus magni et radicales pululantes in ramos infinitos, quorum tamen aliqui sunt communes simplici medicine sicut composite. Vnus est quod non est sanitas nisi humor purgetur; sed non inuenitur apud vulgum Latinorum medicorum medicina purgans humores adustos nisi contra coleram rubeam. Cum tamen dicat Haly super Tegni, nouem esse species colere nigre: et dicit alibi super idem quod ex vnoquoque horum humorum, quando aduruntur,

1 Incipit tractatus de erroribus medicorum secundum fratrem Rogerum Bacun de ordine minorum *Can*; De erroribus medicorum M.B. de ordine minorum *E* 2 Rogerum Bacon (*om.* de Ordine Minorum) *S* 6 eos] nos *S* 8, 9 quia *Can* 9 fictum] sicum *Can*; siccum *E S* corde] corpore *S* 10 quo] *B Ch E add* non (*cf. p.* 173 *l.* 15) 11 est *om. Ch* 12 decoctionem *S* 14 et[2]] ut *Ch E* 15–17 4°...multa *om. Ch E*; *Can reads* sophistica *for* sophisticata, *and* vel *for* ut, *and* tyriacha *for* tiriaca 19 radicales] mortalitatis *Can* 21 sicut] sed *Can* 22 vulgus *E* 25 nigre *om. Can* super idem *om. Can*

fiunt egritudines multe, ut sunt antrax, fistula, cancer, lupus, ignis sacer, et huiusmodi grauissime | infirmitates, et multe alie vulgate infirmitates, contra quas medici non habent sufficiens medicamen, licet multa valeant sed pauca sanant.

B. f. 23^{r}; col. i.

(2) The same drug is said to cure contraries.

Secundus principalis defectus est quod auctores eandem medicinam simplicem dicunt purgare contraria, i. e. contrarios humores, ut Haly dicit quod sene purgat coleram rubeam, et Auicenna capitulo de fumo terre quod purgat humores adustos, Latini quod melancoliam. Similiter dicunt Latini quod reu purgat coleram, sed Greci et Aristoteles quod fleuma, et sic de aliis contrarietatibus in hac parte; et hoc tenet medicus magnus pro certo, et egomet vtor contra fleuma secundum documentum Aristotelis sed non vtor substantia grossa quia extrahere scio eius virtutem nobiliter, quod ignorant medici Latini, arguentes pro se quod in tertianis pro colera datur reu, et purgatur et sanatur infirmus. Ad quod respondeo quod Iohannes Damascenus dicit in Afforismis, quod omne laxatiuum educendo alium humorem quemcunque purgat simul coleram, quia leuis est et de facili exit. Non tamen teneas hanc scripturam pro sententia, sed solum induco tibi contrarietatem medicorum de reu, ut ostendam tibi defectum medicorum. Nescis etiam extrahere virtutem de reu, et ideo non oportet te sollicitari nimis in hac parte, sed tamen diligenter considera quod expedit. Solum volo nunc te excitare, non certificare.

The Latins differ from Arab and Greek authorities about senna and rhubarb.

I use extract of rhubarb against phlegm.

(3) Not one among a thousand knows how to separate the harmful parts from the helpful in simple laxatives.

Tertius defectus magnus est, quod, cum medicine laxatiue simplices, in quibus est nocumentum, sunt preparande per separationem nocumenti a iuuamento, velut in tyro separatur virtus venenosa a carne que curat omne veneno-

1 antrax] *E adds* aliter atrox 4 sed multa variant sed paucos sanant *Can* 5–6 per eandem medicinam simpliciter debent *Ch E*; per eandem simplicem medicinam dicunt *Can* 7 ut] unde *Can* 8 super capitulo *Can* 11, 14 Ar' *B Can*; Ar[b] *S* (Aristoteles *or* Arabes ?) 12 tenet *om. Can* 16 pro[2]] ex *Can S* detur *Can* 18 Gamacenus *Ch*; damacenus *B E* 19 lassatiuum (*as generally*) *Can* 20 leue *B*; lene S 22–4 ut ostendam . . . reu *om. Can* 25 sed *om. Can S* quid *Can S* nolo *S* 26 non] necnon *B* 29 iuuamine *C*

sum, non est ars in libris Latinorum data ad hoc nisi in paucissimis, et ideo multa contingunt pericula. Vnde in omni genere reu debet vtile separari a substantia grossa terrestri, et similiter in mirabolanis et in ligno aloes et infinitis aliis. Sed medici nesciunt, saltem vulgus, nec vnus inter mille.

(4) The quantity of harmful medicines, such as scammony and opium, which can be used nowadays without danger, is unknown, with dire results.

B. f. 23^r, col. ii.

Sed et 4us defectus est in quantitate medicine nociue, que respectu corporis istius temporis ignoratur, ut de scamonea et opio et huiusmodi, quod non est ars data, nec scitur in qua quantitate debent homines istius temporis accipere, vel quantum debet secundum etates et secula preberi. Et ideo | sequitur mors aut corporis inanitio multotiens, et infirmitates varie, et cadit homo per scamoneam in dissinteriam et mortem, et per opium in amentiam.

(5) It is not known what ingredients cancel each other in compound medicines.

5us est quod in medicinis compositis non habetur notitia rerum que expoliant se, velut anacardi positi in tyriaca corrumpunt carnem tyri, ut dicit Auicenna, et ideo infinita peccata contingunt ex hac parte medicine ignorata.

(6) The worst defect is ignorance of the due proportion of the ingredients in compound medicines.

An example is the famous 'Benedicta', which ought to be called 'Maledicta'.

6us est ex ignorantia proportionis debite simplicium in composito, et hic est pestis grauis et horribilis. Propter hoc maledicta potius quam benedicta, que in Antidotario Latinorum vulgo dicitur purgare fleuma, nimis errat: non potest purgare fleuma principaliter, quamuis hic liber asserat. Nam plus purgat vna ʒ. diagridii quam tres ʒ. aliarum rerum purgantium fleuma, que cum diagridio ponuntur in illa benedicta: vnde coleram purgat et non fleuma illa maledicta, quia scamonea purgat coleram, que nimis excedit in illa, que in equali proportione ponitur cum hermodactilis et aliis. Et ideo filius illius rustici Romani, qui et hanc maledictam composuit, videns errorem patris sui, posuit multum de rebus purgantibus fleuma, et vocatur benedicta transtiberina, sed non est communiter in libris.

(7) Very little is

7us defectus est in fermentatione medicinarum, quia com-

12–13 et diffinitoriam *Can*; ut dissenteream *Ch* 18 Sextus *Can*; sed (!) *Ch E* 19 grandis *Can S* 20 Antitodario (*as usual*) *B Ch E S* 21 vulgato *Can S* 21–2 nimis . . . fleuma *om. Can* 22 hoc *Can* 23 ʒ.[2]] vncie *Can*; *om. E S* 26 quia] in *Ch E* 27 in[2] *om. Ch* 31 transyberina *Can*

positum, ut dicit Auicenna, sine fermentatione non valebit, et hec fermentatio fit per spatium temporis. Sed de hoc non inuenitur certa doctrina, nisi quod medicina opiata non debet exhiberi ante sex menses. Et quedam possunt ante illud tempus exhiberi, ut in libro Serapionis inuenitur. Sed tempus solum non facit fermentationem nisi aliud superueniat artificium, quia nec narcoticum in opiata nec diagridium in laxatiuo cum suis simplicibus fermentatur, nisi in vnam redigantur naturam. Ut autem perueniatur ad hoc, tria sunt necessaria, spatium temporis, bona commixtio, et solutio rei nociue; et hoc est secretum secretorum quod vulgus medicorum omnino ignorat.

known about the principles of fermentation.

Sed longum esset prosequi alios defectus vsque ad 36, et longius eorum ramos protendere, nec sufficio; et ideo transeo ad extrinsecos defectus.

But I cannot go through the whole 36, so pass to extrinsic defects.

Hii igitur defectus sunt a parte ipsius scientie vulgate, et a parte auctorum, qui hos non euacuauerunt manifestis documentis, precipue in libris qui apud Latinos publicati sunt. Est et alius defectus a parte rerum quibus Latini medici deberent uti, quoniam non habent reu senith nec aloen | epaticum, nec citrinum, nec aristologiam de terra, seu nec florem squinanti, qui solus inter res calidas repercutit, nec petrolium citrinum, nec purum balsamum, nec muscum verum, nec lignum aloes purum, nec carnes tyri, nec oleum sisami, nec multa alia quasi infinita, que summam in medicina optinent potestatem.

One of these is the lack of necessary drugs.

B. f. 23^{v}, col. i.

Sed nichillominus sunt alii defectus graues a parte vulgi addiscentis. Vnus est ignorantia linguarum a quibus assumpta est medicina. Libri enim autentici sunt pleni vocabulis Arabicis, Grecis et Caldeis et Hebreis, ita quod non potest homo scire quid auctores velint dicere, ut patet

There are other serious hindrances to the study of medicine.

One is ignorance of the languages in which original medical works are written.

2 Sed] et *Can* 4 Et quedam] Et tamen quedam etiam opiate *Can* 9 redigatur *Can* 10 bina *B Ch E* 14 sufficit *corrected later to* sufficio *B*; sufficit *Ch E* 15 extraneos *Ch* 16 apte *MSS.* 17 hoc *Ch E* 19 Est et] et etiam *Can*; Est etiam *S* rerum] eorum *Ch E* 20–1 deberent ... epaticum *om. Ch* 20 aloe *Can* 21 seu] vel *S* 25 sissami *Can* 26 proprietatem *Can*

in locis infinitis, et quia ignorant linguam Grecam et Arabicam et Hebream, a quibus infinita vocabula tracta sunt in libris Latinorum, propter quorum ignorantiam non possunt intelligere medicinam nec operari.

Another is that medical men don't learn to know the drugs they use, nor their prices.

Alius est defectus propter ignorantiam simplicis medicine, eo quod medici non cognoscunt res, nec pretia rerum, quibus vtuntur, sicut prius tactum est ex incidenti propter manifestationem vnius signi ignorantie medicine. Vetera enim pro nouis, et vnum pro alio, et expoliatum propria virtute pro re continente virtutem, et sophisticum pro non sophistico, multipliciter a medicis recipiuntur, sicut exemplificaui.

A third is the importance given to disputations during recent years, and neglect of experience.

Tertius defectus est quod vulgus medicorum dat se disputationibus questionum infinitarum et argumentorum inutilium, et non vacat experientie ut oportet. Ante 30 annos non vacabant nisi experientie, que sola certificat; sed nunc per artem topicorum et elencorum multiplicant questiones accidentales infinitas, et argumenta dialectica et sophistica infinitiora, in quibus absorbentur ut semper querant et nunquam inueniant veritatem. Inuentio enim est per viam sensus memorie et experientie, et maxime in practicis scientiis, quarum vna est medicina.

A fourth defect is the neglect of astrology

4us defectus est quod celestia non considerant, a quibus tota alteratio corporum inferiorum dependet; et medicine laxatiue et flebotomie et alie euacuationes et constrictiones et totum regimen artis medicine stant in consideratione alterationis aeris per virtutes celorum et stellarum. Vnde medicus, qui nescit considerare loca planetarum et aspectus eorum, nichil potest facere in operibus medicine, nisi a casu et fortuna. Hoc docent auctores medicine, scilicet Ypocrates, Galienus, | Constantinus, Rasy, Haly, Ysaac; et certissimis documentis hoc similiter experti medici, qui

in spite of authority and experience.

B. f. 23^{v}, col. ii.

2 extracta *Ch* 3 Latinis *Can* 11 exemplificaui] *Can adds* etc. 14 vacant *Can* 16 et *om. Can* 17 dialectica] diabolica *S* 18 inferiora *Ch* 19 nunquam] tantum quam (!) *Ch E* 20 via (*om.* per) *B Ch E* 23 corporis *Ch E* in superiore (!) *E*; infirmorum *Can* 29 et a fortuna *Can* 30 Galienus] Gallicus *Ch*; sal (!) *S* Constantinus] confert (!) *S* Rasis *Can* et *om. Can*

astronomiam sciunt, docent manifeste. Hoc Aristoteles, Ptholomeus, et omnes astronomi perfecti docent euidenter. Longum vero esset istud explicare. Sed vulgus medicorum istius temporis, querens precipue in hoc loco solatium pessimum et turpissimum ignorantie sue, contradicunt suis auctoribus et expertis medicis et philosophis et sensui, quia ad sensum contingunt pericula infinita in hac parte.

The fifth defect is ignorance of alchemy and 'agriculture', especially alchemy;

5us defectus est quod nesciunt alkimiam et agriculturam, quoniam fere omnes medicine simplices trahuntur ab hiis duabus scientiis, ut patet manifeste. Et precipue accidunt inconuenientia ex ingnorantia alkymie, quoniam, cum ars medicine precipit accipi virtutes medicinarum sine substantia, et oportet infinities hoc fieri propter grossas substantias terrestres nociuas, non potest distinctio haberi hic nisi per vias alkymie, que sola docet ex propriis quomodo virtutes extrahantur a quibuscunque rebus; quia oportet in medicinalibus fieri resolutiones et separationes vnius ab alio, quod non potest fieri sine potestate alkymie, que docet resoluere quodlibet ex quolibet.

e. g. almost the whole crowd of medical men are ignorant how to extract the virtue from the gross substance of rhubarb, the supreme merits of which I know by personal experience.

Exempla sunt infinita: ut de speciebus reu purgantibus fleuma debet accipi virtus sine substantia grossa, quod totus mundus medicorum fere ignorat; cum tamen sit res nobilissima et maxime corpori humano respondens, et inter omnes medicinas sola confortans calorem naturalem, et corroborans corpus, sicut patet per Aristotelem in libro Secretorum, et per experientiam hoc cognoui in corpore meo. Omnis enim alia medicina debilitat parum vel multum, ut omnes sciunt, et hec sola confortat. Similiter sunt alia pene infinita, quarum (*sic*) virtus debet extrahi ad hoc, ut conuenienter sumatur et sine periculo, ut patet ex libris medicine. Sed non solum oportet separare virtutem

Importance of

2 Ptholomeus] philosophus *Can*; Tholomeus *E* 3 vero *om. Can* illud *Can* 4 loco] articulo *Can S* 7 non contingunt *Ch E*; *in B* non *is expuncted* 9 ab *om. B Can Ch E* 12 medicinarum] materiarum *Ch* 13–14 propter partes grossas terrestres *Can*; propter grossas terrestres *S* 14 nociuas *om. Can S* distractio *Can* 16 extrahantur *om. B Ch E* 17 et separationes] inseparabiles *S* 21 debet accipi] sed accepi *Ch* 22 res] ars *MSS.*

the art of extracting or separating.

a substantia vtilem, sed virtutem venenosam a substantia vtili, ut in carne tyri, in capite draconis, et multis aliis, oportet non solum virtutem venenosam extrahi sed alias inutiles; et non solum sic, sed oportet facere resolutiones varias corporum a corporibus, | ut in extractione elementorum diuersi generis et aquarum multorum modorum et aliorum multorum, et siue illa, a quibus extrahantur, sint omnino inutilia siue nociua, siue indifferentia, siue vtilia multis aliis vsibus. Sicut enim per vias alkimie extrahitur oleum benedictum a lateribus, et aqua rosacea a rosis, et aliorum, que longe fieri melius possunt et debent per vias alkimie quam fiant a rusticis. Item multe medicine debent sublimari, sicut Auicenna et alii docent manifeste.

B. f. 24^{r}, col. i.

Sublimation.

Value of alchemy in theory.

Sed preter hos modos et consimiles in quibus est alkimia vtilis ad practicam medicinam, et operatio eius est omnino vtilis ad speculatiuam et summe necessaria, quoniam totam rerum generationem ab elementis per humores simplices et compositos vsque ad partes animalium et plantarum et hominis inclusiue determinat, ut prius tactum est; sed medicina hanc generationem non certificat, sed omnino transmittit medicos ad alkimiam, ut patet per Auicennam in multis locis et alios auctores medicine. Vnde hec sola scientiarum, scilicet alkimia, ausa est diffinire quod primo sunt 4^{or} elementa, deinde alia 4^{or}, et 3° 4^{or} vsque ad duodecim, ex quibus homo et totus mundus inferior componitur. Vnde .xii. sunt corpora materialia ut in potentia ad species rerum fixas et per se stantes in hoc mundo, de quibus naturalis philosophus nichil tangit nisi de 4^{or} elementis. Medicus autem, licet tangat, tamen non explicat sed transmittit medicos ad alkimiam, sicut patet per Auicennam in primo canone, vbi disputat contra Galienum dicentem quod solus sanguis currat per nutriendas partes

It alone of the sciences explains the composition of man and the world out of twelve elements.

Medicine refers its students to alchemy.

2 in^{2}] et *Can* 4 inutilem *B Ch E* oportet *om. Can* 6 nardorum *Ch* 7 sunt *Can* 8 siue nociua . . . vtilia *om. B Ch E* 15 opera *B Can Ch*; opus *E* 16 specu latinum *B*; spē latinam *Ch E* necessariam *Can* 17 per] et *Can* 19 inclusione *S* 21–3 ut patet . . . alkimia] *om. Ch*; *added in margin in E* 23–4 quod p̄sunt *Can* 26 ut] et *Can* 27–8 et de quibus *Can* 28 nisi] nec *Can* 32 currit ad *Can*

corporis. Ostendit enim quod alii humores sunt necessarii propter multas causas, et post argumenta confirmat quod dicit per experientiam alkimie, dicens: Ipsum quoque sanguinem aliis inuenimus commixtum humoribus qui ab eo separantur. Cum enim extrahitur et ordinatim ponitur in atuum vel egem, que sunt vasa distillationis in operibus alkimie, visu discernitur quod separatur in partem que est sicut spuma et est colera rubea, et partem que est sicut fex et est res turbida et melancolia, et partem que est ut ouorum albumen et est fleuma, et partem aquosam que est aquositas, cuius superfluitas in vrina euacuatur; et in sequenti capitulo dicit: Quod autem de hoc toto res colata est que est bene cocta, est sanguis. Et hii hum|ores sunt primo 4^{or} simplices, quorum quilibet est ex elementis 4^{or} sed ex vno per dominium; et deinde sunt 4^{or} humores compositi, quorum quilibet est ex 4^{or} humoribus simplicibus, sed ex vno eorum per dominium, ut in homine colerico, vel a membro colerico, exit humor compositus qui vocatur colera, et tamen componitur ex omnibus simplicibus sed denominatur a dominante; et etiam ab homine vel membro sanguineo, exit sanguis compositus ex omnibus, sed habet nomen ab eo qui superhabundat, et sic de aliis.

Analysis of the blood by alchemical processes.

B. f. 24^r, col. ii.

Hac igitur de causa et aliis innumerabilibus est alkimia necessaria medicine speculatiue in cognoscenda rerum generatione et naturarum proprietate. Quoniam Auicenna 2° canone disputat contra Galienum de generatione argenti viui, dicit: Estimauit itaque G. quod argentum viuum non fit nisi ex vzifur in vase linito luto, et accenditur ignis super ipsum et sublimatur; sed non est ita; ymo vzifur fit ex eo

Value of alchemy in showing the generation of things and properties of natures.

2 et 1° argumento *Can* 5 extrahitur] *Can adds* aliquid ordinanti *Can* 6 in catino quod est vas *Can*; in atuum vt egenē (egēī *E*) que sunt vasa *Ch E* 9 et melancolia *om. Can*; *Ch has* et vilia, *misreading* mliā *of E* 10 albedinem et flegma *Ch* 11 et] 3° *Can* 12 q' aūt *Can*; q̧āt (quanta?) *B*; q' a' *S* 13 colerata *Ch E* 17 sed] scilicet *Can* 19 componitur] coligatur *Can*; denominatur *Ch* 20 sed *om. E* denominante *Can Ch*; denominante *corrected to* dominante *B* 21 exit] et sit *Can* 22 et sicut *Can* 25 proprio *Can* 26 G. *B Ch E*; s (!) *S* 27 dicit *om. E S* 28 sit *B Ch E* 29 ymo] sed fumo *Can*

cum sulphure, deinde possibile est ut extrahatur ex eo sicut extrahitur ex vzifur minerali. Et hec sunt de scientia alkimie, sicut patet in epistola Auicenne ad Hasen de potestate alkimie, vbi ponit generationem vzifur ex argento viuo et sulphure. Sed longum esset enarrare potestatem alkimie respectu medicine tam speculatiue quam practice; ideo ad presens hec sufficiant.

Ignorance of natural philosophy. Relations of it to medicine. This ignorance is not confined to medicals, but extends to all the common herd of students of philosophy, who are ignorant also of metaphysics, in spite of their boasts. Hence the philosophical errors which permeate theology.

Vltima autem causa manifestans ignorantiam vulgi medicorum est quod ignorant naturalem philosophiam. Aristoteles enim dicit quod vbi terminatur philosophia naturalis, ibi incipit medicina, et naturalis philosophus habet dare principia vltima sanitatis et infirmitatis, ut dicit. Quod autem ignoretur naturalis philosophia non solum a medicis Latinis sed a toto vulgo philosophantium, potest patere de facili; et similiter cum hoc eodem modo ostenditur ignorantia methaphisice, de quibus tamen duabus scientiis totum vulgus modernorum studentium gloriatur: et quia hoc est principaliter intentum quantum ad peccata philosophie que redundant in theologicam, ideo expressius volo hunc determinare articulum. Quales enim sunt artiste istius temporis, tales sunt theologi, et propter ignorantiam illarum duarum scientiarum totum studium theologie est destructum principaliter, sicut et studium medicine: quoniam theologi gaudent nimis introducere illas duas scientias, ut tangetur inferius, et medici similiter rapiunt et furantur quicquid de naturali philosophia possunt concipere. Sed impossibile est hiis temporibus quod sciatur naturalis philosophia et methaphisica; cuius signum sufficiens est quod nullus cum alio concordat. | Sed secundum Aristotelem in Methaphisica hoc est signum ignorantie perfectum.

B. f. 24v, col. i.

Causes of this ignorance:

Sed cause sunt multe. Vna est quod vulgus studentium

1, 2 ex] ab *S* 2 ex vizifur *Ch E*; de uzifur *Can* 3 ad essen *Can* 4 ibi (*om.* ponit) *B Ch S* 5 sulphure] *Can S add* affirmat (*also added in B in margin*) 10 quod et ubi *Can* 12 multa *B Ch E*; nlia (uniuersalia ?) *S* 18 quantitatem *Can*; tanquam *Ch*; quam *E* 19 theologicam] intecam *Can* 21 et] ut *Can* 24 nimis] mō (modo) *Can* tangitur *Can* 28 est *om.* *Can* cum alio] tamen alius *Can* 29 sicut Aristoteles *Can S* 31 eo quod *Can S*

(1) Dependence on books of Aristotle recently introduced, and hence insufficiently known (text-books not yet compiled).

in illis non vtuntur nisi libris Aristotelis qui sciri non possunt adhuc; primo propter nouitatem. Vix enim sunt 20 anni quod legebantur communiter hee scientie, et scripta electa nondum sunt composita. Cum enim logica fuit iam per 300^{tos} vel 400^{tos} annos vel amplius in vsu, adhuc nescitur, cum nullus cum alio in vno vilissimo sophismate concordat. Sed nolo hic immorari circa logice ignorantiam, quoniam probabitur inferius quod nichil dignum scitur de ea.

(2) (3) Faulty and incomplete translations of Aristotle.

2° ignoratur naturalis philosophia propter translationis peruersitatem: si vnus dicit Aristotelem sentire hoc, alius dicit ipsum sentire contrarium, sicut omnibus notum est. Tertio propter imperfectionem translationis que legitur: quia linee infinite deficiunt, sicut album in Greco designat, et capitula integra, et libri multi; ita quod non est medietas librorum Aristotelis vix translata in Latino de hiis duabus scientiis. Aristoteles enim fecit 50 volumina de animalibus, ut dicit Plinius, et vidi in Greco quod non est in Latino; sed nos non habemus nisi 19 libellos. De vegetabilibus deficit quasi totaliter, precipue in translatione que legitur, sicut manifeste patet ex translatione Michaelis Scoti, et tamen vtraque parum habet. Liber de corporibus inanimatis totaliter deficit, quia pauca capitula, que addita sunt in fine Metheororum, non sunt de textu Aristotelis, sicut ex alia translatione notum est.

Many works not translated at all.

Natural Philosophy and Alchemy.

Nam cum in libro qui Lumen luminum dicitur, quem multi Aristoteli ascribunt, asserantur corpora 12 esse materialia ad species rerum generatas per naturam, ut 4^{or} elementa et 8 alia, non potest naturalis in philosophia vulgata hec scire, et medicus non explicat nec potest certificare de hiis

2 enim *om. Can S* 3 electa] et lecta *Can* 5 noscitur *Ch*; non scitur *E* 6 cum alio uel vno uillissimo sophistice concordei *Can* in vno *om. Ch E* sophismate] sophistē *B Ch*; sophāte *S* 7 sed volo *Ch E* 9 naturalis *om. Ch* 11 ipsum *om. Can* 13 linie inficies *Ch*; linee infinicies *E S* in Graco *Can* designatur *Can S* 15 librorum *om. Can* 17 vid (?) *Can* 19 quasi] .5. *B Ch E* precipue que in translatione legitur *B Ch E* 21–22 et animatis *Ch E* 23 methe^{rum} *B Ch E S*; metaurorum *Can* 24 notandum *Ch E* 25 qui . . . dicitur] quem . . . dicunt *Can* 26 asseratur *Can*; asserant *Ch E* 26–7 naturalia *Ch E S* 28 non] nam *Ch*

The former treats of the universal by way of argument.

Speculative alchemy treats of the particular by way of experiment.

B. f. 24v, col. ii.

Practical Alchemy—the transmutation of metals.

Philosophic agriculture (i. e. botany and zoology)

neglected in education.

ex propria virtute; et ideo Auicenna in capitulo humorum transmittit medicos ad opera alkimie, cum disputat contra G. de sanguine, quod ipse solus nutriat corpora; et alibi in eodem capitulo, et in sequenti, et in multis locis, tangit de hiis que fundantur super hoc verbum quod Lumen luminum proponit. Et ideo oportet quod solum in vniuersali sciat naturalis in libris vulgatis generationem primam rerum, et non in particulari, nec per viam certitudinis, quia hec est per experientiam magis quam per argumentum. Naturalis enim philosophia vulgata procedit in vniuersali de omnibus, et per viam narrationis in multis, et alias per viam argumenti. Sed in particulari per viam experientie non procedit, propter quod non certificat; sed alkimia speculatiua determinat in particulari totam primordialem | generationem rerum ex elementis et humoribus et aliis, ut dictum est. Deinde in particulari inuenit omnes species corporum inanimatorum vsque ad compositionem partium plantarum et animalium inclusiue. Nam alkimia practica de partibus plantarum et animalium extrahit secretum secretorum de quo Aristoteles loquitur ad Alexandrum, per quod possibile est metalla vilia in nobilia transmutari et maiora hiis fieri. Et tunc agricultura philosophica determinat in particulari et per viam experientie generationem plantarum et animalium ex principali intentione et secundum se totam et non secundum partes. Sed hee due scientie non sunt in vsu vulgi studentium, cum tamen libri multi de vtraque sint apud Latinos: et ideo magnum accidit detrimentum in studio Latinorum, et magne vtilitates istius mundi negliguntur.

Special difficulties in medicine: the human

Sed licet medicina sit multum certa, tamen multi defectus Latinorum sunt in ea; nec mirum, quoniam periculosum

1 propria] sua *Can S* et ideo] et non *Ch* 3 G.] sex (!) *S* 6 preponit *Can* 9–10 magis quam . . . procedit *om. Ch* 9 Naturalis] natura *B E* 10 universaliter quod de omnibus *Can* 15 ut dictum *om. Can* est *om. B Can E* 16 Deinde *om. B Ch E* inueniat *B Ch E S* 17 comparationem *Ch E* 18 animalium] alñ (aliquando !) *Can* 21 metalla] *S repeats* 18–19 inclusiue . . . animalium 24 tota *B Ch*; totum *E* et[2]] sed *E* 28–30 et magne vtilitates . . . Latinorum *om. Can S* 30 sunt] sicut *Can*

est operari in corpus humanum, et difficile valde, propter quod est maior difficultas in operibus istius scientie quam in omnibus aliis. Et ideo semper excusandi sunt medici, quamuis oporteat eos deficere. Scientie enim operatiue et practice, que exercent suas operationes in corporibus insensatis, possunt multipliciter experiri, quousque euacuent omnes suos defectus et errores. Sed medicus non potest hoc facere propter nobilitatem materie in quam operatur; quia corpus illud exigit, quod nunquam erretur in operando in ipsum, et ideo difficilis est experientia in medicina. Sed veritas non potest certificari nisi per experientiam; propter quod excusantur medici in suis defectibus magis quam alii opifices scientiarum.

body cannot be experimented on like inanimate matter

Et signa defectuum suorum sunt huiusmodi, videlicet discordantia medicorum in curis, et quod languores et mortes sepe accidunt in operibus eorum. Et quod vulgus qui non vtitur medicinalibus habet homines fortiores et pulcriores et longioris vite vel magis longeuos, quam illi qui medicinalibus dediti sunt; et hoc maxime patet de nationibus septentrionalibus, in quibus raro et parum est vsus medicine. Sunt enim pulcriores et fortiores et maiores corpore et animosiores quam alie nationes que medicinalibus multum vtuntur, et longioris vite: cuius oppositum necessario accideret, si medicina perfecte sciretur a medicis, et omnia medicamenta et similiter omnes res non naturales debito modo prepar[ar]entur et proportionaliter | administrarentur cuilibet secundum vires, etatem et complexionem, et dispositionem celi, que mutat omne corpus omnium hominum et omnium rerum ad omnem horam; et secundum

Evidence of defects in the art of medicine: Disagreement; Bad results; Those who use no medicines are the healthiest.

B. f. 25r, col. i.

1 operari *om. Ch E* 2 operacionibus *Can* 3 aliis *om. Can* 5 cordibus *E* 5–6 sensatis *Ch* 8 materie] medicine *Can* 11 verificari *Can* 13 operices *S* 22 quam alie nationes *om. Can S* medicinalibus] in equalibus (!) *Can* 23 vite illius quod non habentur diuisiones complete morbi. Hec igitur signa (*etc. as p.* 162 *l.* 7) *Can. The passage* cuius oppositum . . . vtentes medicina (*l.* 23–*p.* 162 *l.* 7) *is omitted in Can and S: and the words* quod non habentur diuisiones complete morbi, *though inserted in the text, seem to be the heading of the next section* 27 cuilibet *om. Ch*

alias particulares conditiones que note sunt cuilibet medico sapienti, et etiam quod darentur vbi esset necesse et non alibi, et quod daretur medicina propria et non alia, i. e. non educendo vnum humorem pro alio, sed superfluum et facientem egritudinem: necessario accideret contrarium, scilicet quod vtentes medicina forent longioris vite, fortiores, animosiores et pulcriores quam non vtentes medicina. Hec igitur signa sunt defectus apud medicos.

Causes of these defects: (1) Insufficient diagnosis of diseases.

Cause vero et radices suorum defectuum sunt multe, et recitabo que cuilibet medico sunt euidentia, postquam exercitatus est in arte medicine. Prima est quod Latini non habent sufficientes diuisiones morborum. Nam solus Auicenna diuidit, et Rasy parum in libro Diuisionum. Sed hee diuisiones non sufficiunt, ut patet cuilibet, et Auicenna, ut dicit translator libri sui, fuit philosophus et non medicus, et in fine translationis sue doluit se laborasse, precipue cum libros Rasy et aliorum completos inuenit tam in practica quam in speculatiua. Vnde Arabes non vtuntur libris Auicenne principaliter, sed aliis; et Latini qui operantur iuxta librum eius sepe errant, ut sciunt experti. Vnde Rasis inter prima opera medicine fecit diuisiones infirmitatum, ut distincte cognoscantur cause et signa cuiuslibet speciei morbi, sicut in modis quartane et in modis dissenterie, et sic de aliis, quia vnus modus ex vna causa venit et habet sua signa determinata et suam curam. Et hec est radix prima et principalis, sed hec non certificatur apud libros Latinorum.

(2) Lack of proper remedies;

Secunda radix est ut cum veniunt ad curam, posito quod sciant diuisionem morbi et cause et signi, deficiunt Latinis multe medicine tam simplices quam composite, aut ab aliis

1 complexiones *Ch* 3 i. e.] et *Ch E* 4 pro] ab *Ch E* 7 *Before* Hec igitur *Can reads* quod non habentur diuisiones complete morbi—*apparently a title incorporated in the text: see note on p.* 161 *l.* 23 13 diuidunt *after* Diuisionum *Can* Rasis (*as usual*) *Can* 15 ut *om. Can* 17 in *om. Can Ch* pratica (*as usual*) *Can* 20 Vnde] ut *Can* 21 Rasis *written over erasure in B*; Aristoteles *Ch E S*; Aristoteles *Can, corr. in margin later to* Auicenna 24 sic] sicut *Can* 28 3^a radix *Ch* cum] quod *Can* 29 morbi *om. Ch E*

e.g. India rhubarb

nationibus recipiunt sophisticatas, aut non sunt in vsu Latinorum licet habeantur. Nam reu senith, quod est reu Indie, longe melius quam reu ponticum et barbarum, nusquam inuenitur apud Latinos apotecarios, et cum vtilissimum sit corpori humano: in quo est secretum Aristotelis de conseruatione sanitatis Alexandri, quia vita epatis est, ut Aristoteles dicit, et confortat calorem naturalem, quod nulla medicina facit nisi ista. Vnde corroborat corpus et fortificat contra legem aliarum medicinarum, et hoc scitur per experientiam, si recte preparetur et debito modo sumatur, | in quo est magnum secretum. Et sic de aliis tam simplicibus quam compositis innumerabilibus.

B. f. 25r, col. ii.

and viper's flesh.

Many imported drugs are faked.

Caro vero tyri, cum sit de maximis medicinis, ut Aristoteles determinat et medici experti sciunt, nec est in vsu Latinorum, nec vix potest haberi purum. Nam pluribus modis sophisticatur, atque de aliis serpentibus fingitur, et multa que portantur sunt sophistica, et vix a regibus paucis inueniuntur pura in quantitate necessaria, ut muscus, balsamum et huiusmodi. Et lignum aloes sophisticatur et coquitur atque extrahitur virtus, et lignum parum habens de virtute mittitur ad Latinos, et similiter reu ponticum et barbarum et alia multa. Et gloria inestimabilis, quam super omnes medicinas compositas Aristoteles laudat, non inuenitur aliquo modo, nec octo medicine que ad eam requiruntur, ut tangit in libro De Regimine Vite; et sic multipliciter de aliis medicinis compositis.

(3) Frauds of apothecaries.

Et 3^m impedimentum est, posito quod habeant res medicinales huiusmodi in apotecis communibus, tamen vulgus medicorum non potest aliud facere quam credere eis. Et ideo ipsi vetera pro nouis, corrupta pro sanis, ministrant, ut os aliud pro osse de corde cerui, et sic infinitis modis accidit illusio medicorum, non solum qualitate rerum medicinalium, sed et pretio, ut prius tactum est. Et hoc est quod maxime

2 *Can S omit* Nam reu . . . et vna complexio (*p.* 166 *l.* 6)   4 apotecare *Ch*   21 et barbarum] a barbaris *Ch E*   22 Et gloria est inestimabilis *B Ch*   24 *B inserts* (*later hand*) et *before* que   27 quod non habeant *Ch*   31 aliud] animalis *Ch E*

eos grauat; nec est remedium, nisi aliquis esset potens et diues, qui possit omnia per se et suos in domo propria ministrare et preparare.

(4) For many diseases the books of the Latins give no remedies.

4^m^ impedimentum est, posito quod hec omnia essent amota, adhuc auctores medicine in libris Latinorum multarum infirmitatum non dant remedia: verbi gratia, Haly dicit super Tegni: Humores, quando aduruntur et conuertuntur in coleram nigram, sunt species colere citrine et fleuma salsum et humor melancolicus et sanguis; ergo iste sunt .9. species colere nigre, sex ex adustione cuiuslibet specierum citrine, et vna ex fleumate salso. Ipsius autem plures sunt modi, purus et impurus: purus est nutrimentum medicine membrorum; impurus est qui effusus est in venis: et prius in eodem libro dixit quod generantur ex vnoquoque horum humorum, quando aduruntur, egritudines multe, cuiusmodi sunt antrax, carbunculus, lupus, quartana et alie quam plures, in quibus diuisiones non sunt apud auctores date, sicut in aliis innumerabilibus. Sed auctores in Latinis libris certas medicinas et probatas non habent nisi paucissimas, ymmo quasi nullas, que curent. Multa enim iuuant, sed paucissima vel nulla sanant has | graues infirmitates, sicut probatur per copiam ipsorum languorum per totum mundum.

B. f. 25^v^, col. i.

(5) There is no certainty as to what humours are purged by well-known medicines.

5^m^ impedimentum est, quod apud auctores in libris Latinorum de medicinis notis et quibus tota die fit vsus, non est certificatum quem humorem purgant, ut primo dictum est. Nam Haly dicit quod sene purgat coleram rubeam; Auicenna, capitulo de fumoterre, quod purgat humores adustos; magistri Latini et melancoliam. Similiter accidit diuersitas de reu. Nam Aristoteles dicit quod purgat fleuma, et Greci. Nullus autem de auctoribus medicine exprimit in libris Latinorum quem humorem purgat. Sed opinio medicorum Latinorum est quod coleram; et sic de aliis multis. Et ideo magnum accidit periculum in hac parte.

3 et *om. B* 10 nouem *Ch E* 12 *In B* purus[2] *om. in text, added later in margin*; impurus *Ch E* 13 et purus *Ch E* 26 purgant *Ch* 27 rubeam] reu *Ch E* 28 et] quod *E*

(6) Ignorance of the preparation of simple medicines by alchemical methods, viz.:—

6^{m} impedimentum est in preparatione medicinarum simplicium. Nam oportet multa per vias alkimie preparari, ut olera multa et aquas salubres siue salutares plurimas, per distillationes. (*a*) Distillation; Et si per verum artificium prepar[ar]entur alkimie, longe essent maioris virtutis. (*b*) Extraction; 2° necessaria est quia oportet in multis virtutem extrahi a substantia grossa terrestri, que multum nocet corpori, ut accidit in reu barbaro et in mirabolanis et in ligno aloes et in multis, in quibus modicum de virtute extracta efficaciter et salubriter sine nocumento curaret, sicut experientia ipsa docet. (*c*) Sublimation; Item 3° necessaria est quia quedam sunt venenosa, ut argentum viuum, et multa alia, que indigent rectificatione per sublimationes et alia opera, quatenus mitigetur eorum malicia. (*d*) Solution; Item 4° necessaria est quia quedam recipiuntur in maximis medicinis communiter, scilicet lapides pretiosi et aurum et argentum, que, ut dantur in medicinis communiter, transeunt per corpus et non morantur, et propter hoc nullius aut minime vtilitatis sunt, quamuis in magna quantitate accipiantur, quia non possunt incorporari nisi dissoluantur, dum remaneant in sua substantia grossa et dura ante calcinationem vel resolutionem in aquam; et ideo transeunt. Sed si per vias alkimie secretas prepar[ar]entur, scilicet calcinarentur, et in aquam resoluerentur, ita quod bene prepar[ar]entur, precipue cum adiutorio scientie experimentalis, possent in parua quantitate corporibus valere humanis vltra omnem estimationem. (*e*) Reduction to primary matter; 5° si per eandem cum adiutorio alterius reducerentur res multe ad materiam primam, de qua Aristoteles loquitur in 8° Methaphisice, et in fine Metheororum scribitur, possent rectificari corpora humana plusquam credibile est. Sed hec latent, quia dicta scientia, siue dicte scientie, non | B. f. 25^{v}, col. ii. sunt in vsu medicorum. (*f*) Manufacture of medicines. Item 6° est hec scientia necessaria propter multas medicinas faciendas, non solum preparandas, secundum quod G[alienus] in libro Dinamidiarum docet facere calce cumenon, et Auicenna contendit contra eum de

12 alia *om. B Ch*   17 per] ad *Ch E*   21–3 et ideo . . . et in aquam *om. Ch*

compositione minii, et Platearius docet facere quedam, et multi alii auctores, in quibus opera exiguntur huius scientie.

The case of compound medicines is still worse:

(1) Principle of combination is not settled.

Et si discurramus per medicinas compositas inueniemus maiora detrimenta. Nam res quasi infinite sunt, que non miscentur in vnum, ut surgat vna medicina ex eis et vna complexio. Nam sola contraria medium habent, licet hoc habet dubitationem, quia tunc cuiuscunque contrarietatis sint tantum duo extrema, ut Aristoteles dicit 4° Metheororum, et patet: 3ª vel 4^{or} vel plura non facient mixtionem, ut de facili quis arguet. Et tamen Aristoteles determinat in eodem libro, quod sola contraria medium habent, et quod omne medium ex contrariis est, et ideo non est facile scire veritatem in hac parte. Preterea vnum contrariorum multum excellens destruit reliquum, nec patitur mixtionem; et ideo accidit in compositione medicinarum vehemens detrimentum, precipue cum auctores non determinent hanc perplexitatem, et qui componunt non habent peritiam huius rei.

(2) Proportion of ingredients involves 3 difficult questions:

(a) What is the right proportion of the root to other ingredients?

(b) How is the desired quality to be secured in the mixture?

2° in proportione est triplex difficultas. Vna est in differentia radicis et eorum que sequuntur radicem, ut sciatur proportio horum certa in omni medicina; et hoc est valde difficile, et ignotum vulgo medicorum. 2^{m} est ut habeatur ex mixtione gradus quem volumus caliditatis et aliarum qualitatum sicut in simplici medicina, et illud determinari non potest nisi per viam quam Alkyndi de gradibus docet, que via est difficilis valde et penitus ignota hiis temporibus apud Latinos medicos, sicut quilibet nouit. Nam qui vellet artem dicti philosophi perficere, oporteret eum bene scire communia mathematice propter species maioris inequalitatis et minoris, et propter species propor-

This demands knowledge of the

6 *Can S continue here after* licet habeantur (*p.* 163 *l.* 2) 7 hāēant (*sic*) *Can* sed quia tunc vnius *Can*; quia tunc cum vnius *B Ch E*; quia tunc cuius vnius *S* 8 ex͓ªnia (extrania) *Can* 8–9 4° metheʳᵘᵐ *B Ch E*; 4° methaurorum *Can*; 4 meth *S* [*for* x Metaphysice] 10–11 Et tamen Arist. determinat] edictȝ Ar' determinatum *Can*; eductum Ar' determinat *S* 12 quod] quia *S* et [2] *om. Can* 25 Alchindus *Can* 29 scire *om. Can* methaᶜᵉ *Can S* 30 et [1]] aut *Can*

principles of mathematics. (*c*) What alterations must be made to correspond to the movements of the stars?

tionum et propter leges fractionum difficiles valde, quibus vtitur auctor dictus. Tertium est quod, non existente defectu in duobus predictis circa proportiones, adhuc tertius est in promptu. Nam celi dispositio mutatur in omnibus centum annis vel circiter, et ideo omnia terre nascentia mutant suas complexiones, et similiter corpus humanum; et ideo non eedem proportiones medicinarum sunt semper continuande ut in libris preteritorum determinatur, sed exigitur obseruantia certa secundum temporis decursum. Sed quis est qui potest scire gradum huiusmodi mutationis? Certe purus medicus non, nec quicunque instructus in astronomia, sed | perfectus.

B. f. 26^{r}, col. i.

Fermentation is necessary, a process of varying duration.

Ceterum in medicinis compositis exigitur fermentatio, quia non valebit sine ea, ut Auicenna dicit. Medicina enim composita ex tota sui specie operatur, et non secundum proprietatem simplicium; et propter hoc longa actio eorum exigitur, ut possint quiescere in vna virtute que ad omnes consequitur, sed tempus hoc in medicinis non est determinatum apud auctores Latinorum. Cum tamen aliquod est plurium dierum, aliquod plurium mensium, aliquod vnius mensis, aliquod vnius diei, et quid plurium dierum vel mensium est variatur multis modis, nec possunt hec certificari nisi per longas experientias; et quia hec fermentatio necessaria est, ideo, cum non obseruatur in medicinis singulis iuxta suam proprietatem, accidit magnum detrimentum.

Importance of the observance of times and seasons.

Preter vero omnia hec impedimenta vnum accidit principale, quod plus nocet quam aliquid aliud, et quam multa alia, et est quod qualitas temporis non obseruatur, ut prius tactum est. Quelibet hora habet suam complexionem, et quelibet quadra diei et quelibet dies, et sic vlterius: et non

1 legis fractionem *Ch* difficile *Ch*; difficile est *Can* 2 dicens *Ch* Tertium] 2^{m} *Can S*; 3^{m} *B* 5 ideo *om. S* 6–7 et similiter . . . proportiones] nec complexiones *Can*; *om. S* 8 posteriorum determinatum est *S* 10 istius *S* 13 exigatur *Can* 15 exposita *Ch E* 16 longacio *Can* 18 in mediatum *Can* 20–1 aliquod plurium . . . dierum *om. S* 20–2 aliquod vnius . . . vel mensium est *om. Ch E. In B these words* (*except* est) *are added in the margin in a later hand* 22 hic *Can* 27 quod] quia *S*

solum habent complexiones naturales et communes, que continue accidunt ex motu solis et lune et stellarum fixarum que feruntur super zenith capitis: sed complexiones currentes secundum motum aliorum planetarum et secundum varietatem coniunctionum et aspectuum. Et non solum tempus hoc habet, sed humores et complexio et omnia generabilia et corruptibilia, quapropter necesse est ut medicus sciat hanc varietatem considerare in corpore super quod operatur, et in rebus quibus vtitur. Nam aliter ad omnem operationem decipietur.

Influence of the stars generally recognized in practice, though without scientific knowledge.

Hec igitur est causa dicti: sed experientia hoc idem probat, et preterea omnes auctores medicine hoc determinant, ut prius dictum est, et omnes sapientes astrologi, ut Aristoteles, Ptholomeus, et alii; atque medici scientes astronomiam hoc certissime cognoscunt, et etiam vulgus medicorum hoc percipit in regimine acutarum, et in omnibus in quibus potest quilibet considerat solem et lunam et varietatem rerum per hec, quamuis nichil sciat de hiis secundum artem, sed iuuat quilibet se, ut patet, secundum consuetudinem et vsum. Quod si aliquis auctor dicat medicum in quantum medicum non debere de talibus certificare, sicut Auicenna et Haly in quodam loco aiunt: primo ad hoc est quod ipsi sibi ipsis non debent contradicere, cum alibi velint medicum vti consideratione celi debere. Et ideo volunt quod medicus in quantum medicus non potest nec debet nec habet vnde hec consideret; sed tamen oportet quod per considerationem alterius scientie hoc faciat, quia sue operationes non dependent tantum ex scientia medicine | sed ex aliis scientiis multipliciter, et maxime ex tribus, quarum vna est alkimia, secunda astronomia magis, et tertia maxime, de qua postea dicetur.

Astrology not strictly a part of medicine, but one of the sciences auxiliary to medicine.

B. f. 26^r, col. ii.

Ignorance of languages.

Et hec impedimenta medicine practice non solum sunt,

3 cenith *B E S*; zenit *Can*; senith *Ch* 12 propterea *Can* 14 et Ptolomeus et Haly *Can* 15 vulgus] *E adds* Latinorum 17 considerare *Can*; consideret *Ch E* et[2]] etiam *Can* 18 et per hec *Ch E* sciant *Can* 20 quantum] quantitatem *Can*; quem *Ch E* 25 in $q^{a}ti^{tum}$ *Can* 27 sue operationes] sue consideraciones *B*; sine consideracione *Ch E* 32 solum] *in margin* (*by later hand*) *B*; *om. Ch E*

sed accidunt alia propter defectum linguarum, de quo superius dictum est. Quod vniuersaliter est apud Latinos, sed maxime apud medicinam practicam, propter plura vocabula aliarum linguarum que in illa continentur, atque propter impedimenta sue speculatiue, de quibus pauca subiungam.

Practice precedes theory in time, but depends on it.

Theory is based on many sciences:

Philosophic agriculture;

Alchemy;

Natural philosophy;

Cognitio practice est in omni scientia prior vsu quam sua speculatiua, licet non artis traditione. Nam per admirationem experientie effectuum excitamur ad considerationem causarum. Et ideo practica cuiuslibet scientie prior est in vsu sed non arte nec speculatione. Requiritur ergo speculatio causarum antequam possumus scire practicam specialiter: sed illa speculatiua dependet specialiter a multis scientiis. Nam agricultura philosophica dat ei simplicem medicinam cognoscendam, que in plantis et in animalibus consistit. Alkimia vero simplicem medicinam explicat, que in rebus inanimatis inuenitur. Sed hee due scientie ignorantur a vulgo non solum medicorum sed studentium vniuersaliter: propter quod non solum res inanimate et animate posite in libris medicinalibus ignorantur, sed earum vocabula multipliciter, que secundum rem et rationem nominis ponuntur ex libris alkimie et agriculture. Naturalis vero philosophia specialiter de celestibus bene necessaria est propter cognitionem complexionum locorum mundi et temporum et omnium rerum medicinalium per consequens.

Experimental science: this alone gives certainty to the conclusions which other sciences reach by argument.

Nunc sequitur scientia experimentalis, cuius prima dignitas est, ut prius volui, quod ipsa habet experientias completas circa conclusiones aliarum scientiarum. Nam speculatiue scientie non habent experientiam suarum conclusionum, sed suorum principiorum tantum, sicut Aristoteles docet in fine Posteriorum et in principio Methaphisice. Alie autem scientie, que practice sunt, etsi negotientur per experientias circa conclusiones suas, tamen aut sunt vniuersales experien-

2 vniuersaliter] quod naturaliter *Can S*   4 illa] prima *Can*   7 sua *om. Can*   15 consistit] *Can adds* etc.   19 posite] *Ch E add* vniversaliter   21 et *om. Can*   23 special' *B Ch E S*   necesse *B Ch E S*   30 in *om. B E*   31 in *om. B Ch E*   33 vniuersales] naturales *Can*

tie, aut, si particulares sunt, incomplete respectu experientie vltimate, super quam hec scientia fundatur: et sine experientia conclusionum nunquam fit scientia. Nam argumentum ut demonstratio concludit veritatem conclusionis cui non potest homo resistere, sed non propter eam quiescit eius animus in luce veritatis: ymo exigitur experientia, et tunc tenetur veritas sine murmure et titubatione. Et ideo cum scientia sit certa notitia veritatis, per argumentum veritas concluditur, sed non excluditur | dubitatio, nec per illud generatur certitudo antequam experientia adiungatur. Et hoc quilibet experitur in rebus infinitis. Quamuis quilibet sciat per argumentum, cui non potest resistere, et recipiat ignem esse calidum, tamen non propter hoc abhorret ponere digitum in ignem, antequam experiatur nocumentum; quo facto quiescit eius animus in cognitione circa vim caloris conburentis, et abhorret effectum. Cum enim prima demonstratio Euclidis sit potissima, cum dicitur quod omnes linee exeuntes a centro ad circumferentiam sunt equales, et vtrumque latus trianguli constituendi super datam lineam cum ea est huiusmodi et ideo adinuicem equales, quia que vni et eidem sunt equalia sibi inuicem sunt equalia, propter quod oportet triangulum illum esse equilaterum: non quiescit audientis animus in hac veritate ante experientiam figurationis duorum circulorum intersecantium se, a quorum alterutraque intersectione ducantur due linee ad extremitates linee date, et nec propter istam adhuc plene certificatur, nisi vlterius per commensurationem habeat particularem experientiam. Et ideo cum Aristoteles dicit quod demonstratio est sillogismus faciens scire, intelligendum est cum sua experientia: vnde illud verbum non dicit absolute et simpliciter per exclusionem cuiuslibet alterius, sed per

B. f. 26v, col. i.

4 concludit] con. (*sic*) *Ch* 8 circa *Ch* 9 excluditur] concluditur *om. Can* 13 non *om. Ch* 15 cogitacione *Can Ch E* circa] contra *E* vim *om. Can S* 18–20 et vtrumque . . . equales *om. Can* 22 illum *om. Can* 25 alterutrumque *Ch*; alteruterque *E* ducant *Ch E*; ducuntur *Can* 26 non *Can* certificatur] transit *Ch* 31 cuiuslibet . . . exclusionem (*p.* 171 *l.* 1) *om. B Ch E*

exclusionem alterius generis argumenti, non experientie: et sic est in naturalibus. Nam quantumcunque aliquis ignoranti per experientiam attractionem ferri per adamantem fieri probaret efficacius per argumentum, quod hec attractio esset possibilis in natura, tamen nunquam certificaretur, nisi ad oculum videret experientiam, ut quilibet scit de seipso. Nam nec de auctoritate nec de ratione ad hoc curamus quantum de experientia, et tunc quiescit animus.

[Miscellaneous Notes.]

A false generalization about the action of solids and liquids.

Dicitur quod pillule et trocisci trahunt a longinquis partibus, quia iacent diu in stomacho, et liquida substantia a propinquo. Sed tunc viola, si daretur in pillulis, traheret a longinquo; cassia fistula (?) et tamarindi et huiusmodi medicine leues et medicine graues in liquida substantia traherent a propinquo: quod falsum est. Sed sunt trocisci et pillule vbi aloe ponitur quia nimis amarum est, nec posset pre amaritudine recipi in liquida substantia: et aloe magis ponitur quam mel secundum opinionem magistri Symonis, quia habet proprietatem ad membra capitis, et probauit per experientiam aloe plus valere quam mel.

A Salernitan error about scammony.

Salernitani dicunt quod scammonia non debet teri minutissime, ne adhereat puluis stomacho et ne nimis calefiat ut virtus expiret. Sed nichil est primum; et contra secundum est remedium | ut leniter teratur, et infundatur aqua frigida, et fiet quasi lac, et tunc stare debet usque quo exsiccetur.

B. f. 26^{v}, col. ii.

Three kinds of aloes.

Aloe triplex est, scilicet citrinum, quo solo vtuntur Latini communiter; et epaticum, quasi epar coctum porci; et rubeum.

Opiates.

Item opiate non dantur nisi post purgationem, ut consumant reliquias humorum, nisi in casibus certis, ut quando humor paucus est et quando decurrit ad aliquod membrum

2–3 ignorans *E* 3 fieri *Can* per adamantem *om. E* 9 trocissi (*as usual*) *B Ch E* 11 traheret ne *Can* 12 *All MSS. read* cassiaf' 14 Sed sunt trocisci *om. Ch E* 15 pillem (?) *Can* 17 operacionem *Can* 20 scamonea *Can* 21 adhorreat *Can* puluis] uillis *Can*; vli *S* stomachi *Can* 22 experiret *Ch E* 25 siccetur *S* 29 prius *S* 31 est *om. Can*

speciale. Tunc enim melius est restringere humorem quam destruatur membrum principale. Sed non datur in debita proportione respectu etatis istius; et in rubea opiata que datur contra calidam causam in tertiana, accidit inconueniens, quasi natura absorbetur, et quasi homo cadat in frenesim.

Works on antidotes.

Antidotaria antiqua incipiunt ab opiatis, scilicet a tyriaca et aliis: deinde ab electuariis: deinde a laxatiuis. Et Symon vidit antidotarium Cosme et Damiani in Ytalia et alia antiqua, et querit antidotarium de Alap quod est in Hebreo, et practicam Aueroys.

Value of fermentation in preparation of various drugs. Scammony.

Fermentatio medicinarum maxime valet, ut scammonia non debet solum puluerizari et proici in medicinam, quia nunquam bene incorporabitur, sed debet primo teri in aqua ut fiat lac, deinde incorporetur cum medicina. Similiter opium primo debet in aqua teri, deinde exsiccari, vel cum melle.

Opium.

Diagridium.

Diagridium soluitur in aquam frigidam et lente teritur et moderate, ne nimis calefiat, et ne virtus expiret, et fit quasi lac, et deinde miscentur res, et fermentatur per 15 dies, et deinde miscetur cum melle vel syrupo vel alio quocunque, et sic datur.

Error in the 'Benedicta'.

Diagridium nullam infirmitatem respicit sed humorem, scilicet coleram, et ideo male ponitur in benedicta in quantitate 5 dragmarum, quoniam plus facit ad purgationem colere 1 ·ʒ· scammonie quam 1 ·ʒ· hermodactilorum et illorum que purgant fleuma. Vnde illa benedicta non purgat fleuma sed coleram: propter quod filius eius, qui illam benedictam composuit, apposuit de esula in magna quantitate et minus de scammonia et vocauit benedictam transtiberinam.

1 spirituale *B Ch E*; spāle *Can* 3 et *om. Can* 7 Antitodarium antiqui *B S* 8 Et *om. Can* 9 Simion *Ch* 10 halap *Can* 12–13 valet in scammonia. Nam debet *Ch E* 17 melle] *Add* misceri (?) 19 ne[2] *om. Can* et[2] *om. B* 20–1 res . . . miscetur *om. Can S* 21 vel[1]] et *Can S* 23 sed humorem] secundum humorem *Ch*; sed humores *S*; *om. Can* 24 scilicet] et *Ch* 26 .ʒ.] .ʒ. *Can S* 27 aliorum *Can S* 30–1 transyberinam *Can*; transtibinam *Ch* (*cf. p.* 152 *ll.* 18–31)

Aposteme of musk-deer, description.

Apostema gazel, quod cadit per se, scinditur a parte ventris animalis et habet grana multa ad quantitatem granorum cubube, et subrubei coloris, sperice figure: quod abstrahitur ante illud tempus, non habet grana maturata; et a principio habet massam quasi nigri sanguinis coagulati; deinde natura diuidit illam in 12 partes vel circiter: deinde quamlibet in 12 vel circiter: et sophiste accipiunt de sanguine *Beware of fakes.* illo et miscent cum partibus | granorum maturatorum, et *B. f. 27r, col. i.* sic decipiunt, sed nigrior fit color nec sic aromatizat.

Lign-aloes.

Lignum aloes, quod vocatur xilo aloes, est subnigri coloris intra et extra, si est bonum; descendit in aquam, si in frusta parua diuidatur, et est quasi nodus in arbore, et iacet in eo, et nascitur in venis eius; sed sophiste coquunt bonum et extrahunt virtutem, et vendunt Latinis corpus sine virtute, aut de arbore in qua crescit.

Preparation of rhubarb.

Reu ponitur in liquore, et virtus accipitur, et ad Latinos transmittitur, scilicet in sero caprino ad quantitatem vnius scutelle et dimidie quarte, colato et decocto cum albumine ouorum 6 vel 5 extra flammam iuxta ignem temperatum, ut leuiter bulliat, vsquequo substantia caseata congregetur tota superius, et iterum colato et infrigidato bene imponitur reu fractum in parua frusta, et virtus extrahitur per noctem vnam breuissimam in estate vel medietatem in hieme, vel quasi circiter, ut accipiatur contra frigidos humores, principaliter fleuma, et debet colari et bene exprimi, ut tota virtus exeat cum sero per pannum rarum; et si iterum reponatur liquor subtilis et coletur fortiter, melius est quam in prima colatione. Et melius supra modum est reu cenith, scilicet *The best kind.* Indie, quam alia reu: et si poneretur in sero dum est calidum, non faceret nisi mingere. Et residuum seri potest *How to take it.*

1 gazol *Can* cadit] accidit *E* funditur *Can*; scnditur *B*; sentitur *Ch* 2, 4 grana] genera *Ch E* 3 cabebe *B* 4 extrahitur *Can* 9 fit] sit *S* 11 intus *Can* 12–15 et iacet . . . aut de arbore *om. Can* 13 excoquunt *Ch* 15 de arbore] arborem *S* 17 cero *Ch E S* 19 5] 7 *E* 22 *All MSS. read* frustra 23 medietate *Can* 25 collari *Can*; celari *Ch E* 26 exponatur *Can* 27 celetur *Ch E* 27–8 quam in preuia colacione *Can*; quam in percolacione *Ch* 28 senith *Can S* 29 cero *E*

homo potare, et si debilitetur propter ieiunium, eo quod tarde exit de stomacho, potest commedere et assellabit post. Et postquam acceperit illam medicinam, debet parum dormire, quatinus exeat citius et melius de stomacho; sed parum debet dormire, scilicet ad quantitatem hore et dimidie vel duarum, quia si multum dormiret euaporaret per corpus. Et potest homo accipere virtutem dimidie vncie de reu.

Difference between the three kinds.

Et reu, quod 2^a vice accepi, fuit barbarum, et illud fuit ponderosum et rubedo apparuit dispersa in tota eius substantia: et ideo dicebant medici quod fuit melius, quia fuit humidius, et potuit melius in parua frusta diuidi. Reu senith est leuius reu barbaro, et reu barbarum leuius reu pontico; et reu senith est subnigri coloris, et reu barbarum inuenitur semper quasi habens superficiem planam, et ideo videtur esse coctum. Reu ponticum inuenitur integrum et rude, et ideo non videtur sophisticatum nec coctum.

Uses of rhubarb.

B. f. 27r, col. ii.

Item reu senith et alia purgant fleuma, et confortant calorem naturalem et virtutem corporis, sed reu senith magis quam aliud. Item | datur in tertianis contra coleram, sed non purgat coleram nisi per accidens, sed fleuma, ut Aristoteles dicit in Secretis. Colera enim de facili educitur propter sui leuitatem, et cum omni humore purgato consequitur, sicut dicit Iohannes Damascenus in Afforismis, quod omne laxatiuum coleram educit; et ideo decipiuntur medici. Item estimat magister S. quod eius virtus valet contra fluxum sanguinis, quia confortat sua virtute mirabili.

Flowers of rosemary.

Antos, flos roris marini, maxime valet contra fleuma et melancoliam, et contra passiones senectutis. Accipiantur ramusculi, qui exeunt de magna radice ellebori nigri, et ponantur in aqua et extrahatur substantia dura que est in illis ramusculis et proiciatur tanquam letale; sed accipiatur cortex circumstans et preparetur cum aliis rebus, et purgat coleram omnem et sic sanatur quartana de colera. Eius

1 debilitetur homo *Can S* 7 homo] non *Ch* ʒ *Can* (?) *B* 8 accipitur *Can* 11 potuit *om. S* 12 leuius [1]] melius *S* 14 semper *om. E* 22–3 sequitur *Can*; sicut sequitur *S* 25 S.] G. *Ch*; N. *S*; *om. Can* eius] omnis (?) *Ch*

vero semen purgat humorem qui facit canos, et valet contra lapidem.

Mirabolans.

Mirabolani franguntur et ponuntur in phialis vitreis ad solem fortem, et iterum ad mirabolanos infunditur aqua, que, cum sit amara, ponitur in alia vasa vitrea ut scutellas vitreas ad solem, et iterum ad mirabolanos infunditur aqua, donec fiat amara, et tunc in scutellas illas prohicitur et sic pluries donec remaneat aqua dulcis, et illa aqua collecta in scutellis exsiccetur ad solem. Sol enim totam aquam extrahet, et remanebit substantia grossa, que virtus vocatur. Alio modo extrahitur ad solem ponendo, et tertio modo ad ignem decoquendo. Simili modo preparatur turbith et extrahitur eius virtus.

Turbith.

Peony, male and female.

Radix pionie masculi est quasi rotunda, et radix femine est ad modum fusi habens conos graciles, et in medio gibbum grossum; et fit puluis de radice femine et ponitur cum rebus aliis pro paralisi, quia quod transit ad neruos et venas oportet quod per viam cibi recipiatur secundum quod Iohannes Damascenus vult in Afforismis.

A good powder.

Puluis bonus: Recipe castorei piretri anª ʒ .I. cimini piperis rotundi .ʒʒ. salis communis radicis pionie femine et ule herbarum pulegii et origani anª ʒ sed fiat puluis. Puluis autem fiet ut secundum Afforismum Iohannis Damasceni transeat ad 4^{am} digestionem et conuertatur in venis vel neruis sicut cibus, quia aliter vitium corporis non curatur. Radix enule scinditur per rotundas partes, et suspendantur per filum ad solem, ut siccentur, quia aliter diu seruant humiditatem. Pulegium hoc non sit regale sed verum pulegium. Nam quod in Francia dicitur pulegium

1 vero *om. Ch* quia *Can Ch* 3 phialis] pluralibus (?) *Ch* 4 iterum ad mirabolanos *om. Can S* 5–7 ponitur in alia vasa vitrea . . . fiat amara *om. Can S* 5 ut] in *Ch*; scutellas *has been altered to* scutellis 10 vocatur] *Can adds* que de aliis rebus sic extrahitur 11 tertio] 2° *Ch* 14 feminee *B* 15 fussi *Can*; susi *B* 17 quod] tunc *Can S* et oportet *Can* 20 an ōʒ .I. cimirii *Can* 21–2 piperis rotundi ʒʒ salis communis radicis peōie femenīē et enule herbarum pulegii et origani añ ōʒ ÷ fiat puluis autem fiat *Can* 24–5 venis vel *om. Ch E S* 26 rotundas] *Added in margin in B*; *om. Ch E* 27 suspenduntur *Can* ut] et *Can* 29 verum] rerum *Can*

regale est proprie serpillum, sicut in Ytalia inuenitur. |

B. f. 27ʳ, col. i.

Radix pionie femine oblonga est ad modum fusi; non sic de masculo; qui vtitur, vtatur in cibis et potibus.

Powder of lign-aloes, pearls, and gold.

Recipe lignum aloes ad pondus 2 denariorum et bene teratur per se optime, et postea de mortario amoueatur. Deinde recipe margaritas ad pondus 4ᵒʳ denariorum; adde 50 folia auri, et simul terantur peroptime; et quando peroptime teruntur, apponatur puluis ligni aloes ut fiat vnum corpus: postea deponatur; deinde imponatur dimidia vncia gariofili et optime teratur: deinde simul ponantur omnia et bene postea terantur: deinde per se teratur muscus ad pondus oboli Parisiensis, deinde [os de corde cerui], si potest haberi, teratur. Deinde recipe zuccarum durum ad medietatem vncie et teratur per se: deinde omnia simul ponantur et bene terantur quasi ultra modum: deinde seruetur bene.

Preparation of gold.

Item qui vtuntur auro debent tundere tenuissime et puluerizare subtilissime, et, si scirent, facere liquari et incorporare in lacte vel alio nutritiuo. Item auri folia fiant tenuissima, et subtilissime terantur: et similiter margarite, et os de corde cerui, et talia: et fiat puluis tenuissimus et incorporetur cum lacte vel alio dulci vel aliquo tali liquido, et sumatur contra pusillanimitatem et tremorem cordis et huiusmodi passiones, et contra auaritiam, vnde non possunt alias curari nisi auaritia tollatur.

Mead.

Mulsum fit ex octo partibus aque et nona mellis, vnde aqua est in octupla proportione.

For putrid juices see *Book of Leprosy*.

In libro elephantie oportet medicum inuestigare chimorum putredines, qui ex 4ᵒʳ nascuntur humoribus, siue simplices siue compositi, cum naturam suam egrediuntur, etc.

Drugs lacking

Hec deficiunt apud Latinos: aloes rubeum quod Indicum

2 peoie feminie *Can* 5 tritetur (*om.* bene) *Can*; triturantur *S* peroptime *S* 6 recipe] respicias *S* 8 ut] et *Can* 9–10 deinde imponatur . . . teratur *om. Can S* 12 *The MSS. read* anthos, *but there could be no difficulty about getting rosemary; the mention of* os de corde cerui *below implies that it was part of the prescription* 15 terantur et bene ponantur *B Ch E* 16 seruatur *B Ch E* 17 tondere *Can* 19 aliquo liquido nutrimento *Can*; alio liquido nutritiuo *S* auri *om. S*

vocatur, et aloes epaticum Persicum, quod est citrinum, sicut epar porci quando coctum est; quod vocatur aloes cicotrinum Arabicum, quod est nigrum, habetur a Latinis; et est aloes succus quidam.

among the Latins: Aloes;

Item epithimum de Babilonia vel de Creta insula; Reu senith siue Indicum, quia reu barbarum et reu ponticum habentur: et vix scitur distinctio inter illa tria reu. Vnde aliquando in libris reu senith vocatur barbarum, et ponitur vnum pro alio, quia male cognoscitur reu senith: sed reu illud est optimum contra fleuma, et reu ponticum rotundum venit ad Latinos. Reu barbarum habet planam superficiem et non integram, et ideo estimatur quod non potest cognosci barbarum sicut ponticum, an virtus extrahatur a Sar|acenis. Et est reu ponticum melius reu barbaro, et sunt eiusdem pretii.

Epithymon; Indian rhubarb;

B. f. 27v, col. ii.

Item stercus lacerti, orbiculatum albo et nigro colore; stercus lacerti vel theofic' sunt grana nigra, quibus vtuntur vltramarini in medicinis oculorum.

Lizard's dung;

Item oleum sisami, scilicet cuiusdam herbe vel arboris vel seminis, quod comeditur vltra montes communiter sicut oleum oliue apud nos. Item balsamum recens. Item bonus muscus non sophisticatus. Item xiloaloe Indie non coctum. Item caro tyri de monte non lapidoso, et cognoscitur per dentes vtrum masculus sit vel femina.

Oil of Sesame; Fresh balsam; Good musk; Indian lign-aloes; Viper's flesh

In Viatico vocatur diaquilon quod Recipe scariole, apii feniculi, petrosilli an[a], et valet contra ydropisim frigidam et huiusmodi. Item trocisci tyri cum aromaticis et precipue cum cinamomo valent talibus ydropicis.

(like diachylon, useful against dropsy);

Item draco, quem soli cognoscunt Ethiopes, et coluber qui habet lineam rubeam in dorso a capite ad caudam et circulum rubeum circa collum, et tirus sunt comestibiles. Sed ille coluber valet senibus et leprosis. Tyrus autem

Other serpentine drugs.

2 aloe *B* 3 cicocitrinum *S* nigrum] magnum *Can S* 5 ephici[m] *S* certa *Can* 6, 8 barbarum] herbarum *S* 9 vnum *om. Can S* 17 teficus *Can*; thesic' *S* 19 sissami *Can* 20 montem *S* 26 fen pet[o] *B Ch E S* 27 trocissi citricum aromaticis *B Ch E* 29 columbe *Can* 30 linguam *Can* 32 columbe valent *Can*

melior est longe pro senibus, et est medicina de genere venenosorum de quo Haly, etc.

Pleasures which preserve health.

Item conseruant et augmentant sanitatem et vitam letitia, cantus, visio pulcritudinis humane, tactus puellarum, aqua tepida aromatica, vti aromaticis et confortatiuis electuariis, balneum ieiuno stomacho post depositionem superfluitatum.

A remedy for cold humours, flowers of wild thyme,

Sumantur flores serpilli veri et ponantur in vase ereo vel ferreo vel terreo plumbato interius, et orificium obstruatur, et liniatur cum liniamento facto de albumine oui et farina, et ponatur in potum vel cacabum bullientem a mane vsque ad tertiam vel circiter, vsquequo fiat substantia oleagena et exprimetur oleum, et valet contra frigidos humores.

oil of camomile (or rosemary, or pennyroyal).

Camomilla est maxime similis humane complexioni, ut dicit Auicenna, et si fieret oleum de ea ut de floribus estimatur valere contra passiones senectutis. Similiter si fieret de antos, fit quidem de floribus pullegii, quod non est serpillum, quod ponitur in salsis et cum carnibus, sed verum pullegium habens altas fistulas seu stipites, positis floribus in vase terreo plumbato cooperto panno lineo ex albumine oui et farina mixtis, deinde ponitur in olla vel cacabo plena aqua | bullienti a mane vsque ad tertiam vel circiter hoc, et exprimitur, et fit oleum salubre valens contra frigidos.

B. f. 28r, col. i.

Accipiantur flores camomille et terantur cum oleo oliuarum, et repleatur vas vitreum ad modum vrne vel vnius iusti fere vsque ad collum, et suspendantur in vas plenum aqua, ita quod circulus panni vel alterius sit circa collum, et per lineam descendat lapis, non tamen vsque ad fundum vasis in quo est aqua, sed natet lapis sub vase vitreo et trahat illum deorsum. Deinde secundum quod aqua consumitur per decoctionem, infundatur noua vsque ad summitatem florum: semper enim debet esse aqua vsque ad partem superiorem florum, et illa aqua que infunditur

10 pottum *Can* cababum *Can* 11 oleaginea *Can* 12 frigidos *om. Ch* 16 fit quidem] ad quod *Can* 19 blumbato *B*; *Can adds* vel vitreo linito *Can S* 20 ponatur *Can S* 24 vrine *B Can Ch E* 26 circa] contra *Can S*

debet esse calida, ut mihi videtur, ne vas vitreum frangatur experientia enim hoc probabit.

1 mihi *om. Can* 2 probabit] *In B this is followed by:* Frater Rogerus Bacun in libro 6 scientiarum in 3° gradu sapientie vbi loquitur de bono corporis et de bono fortune et de bono et honestate morum sic ait: In debito regimine corporis . . . (*exp. f.* 29ᵛ) ut fiant sublimes operationes et utilissime in hoc mundo. F. 29ᵛ: Item alius tractatus eiusdem fratris Rogeri Bacun extractus de sexta parte compendii studii theologie de verbo ad verbum quem librum fecit ad instanciam pape Clementis et est tractatus de materia prius pertractata et extrahitur de capitulo quod intitulatur De scientia experimentali. Et si quis de hiis velit pleniorem habere doctrinam et responsionem ad difficultates que possent obici in contrarium querat scripta principalia videlicet librum sex scientiarum et librum quem intitulauit compendium studii theologie et inueniet ibi materiam cum difficultatibus diffuse pertractata. (*Inc.*) Corpora vero Ade et Eue . . . (*expl. f.* 31ᵛ (*ult.*)) et alibi in multis modis.

Explicit tractatus extractus de predicto libro fratris Rogeri Bacun, Deo Gratias.

The same extracts follow De erroribus *in Can Ch E S and other MSS.* (See Appendix I.)

APPENDIX

I

MS. Bodley 438, fol. 28–29

Frater Rogerus Bacon in libro sex scientiarum in 3º gradu sapientie, vbi loquitur de bono corporis et de bono fortune et de bono et honestate morum. sic ait:

In debito regimine corporis et prolongationis vite ad vltimos terminos naturales, quos deus constituit et natura, relucet miranda potestas astronomie, alkimie et perspectiue, et scientiarum experimentalium. Sciendum est igitur pro bono corporis quod homo fuit immortalis naturaliter, i.e. potens non mori, nec morti subiectus esset nisi per peccatum; et cum fiet resurrectio mortuorum, omnes homines erunt immortales, non solum beati in gloria sed damnati. Et ideo naturalis est immortalitas humane speciei, nec mirum, cum anima rationalis sit immortalis, et ideo naturaliter corpus exigit immortale. Cum autem lapsus fuerat homo per peccatum, potuit tamen naturaliter viuere per mille annos, sicut in Iosepho reperimus, et postea paulatim abbreuiata est vita, quod ad hoc deuentum est secundum psalmistam ut dies annorum nostrorum sint in septuaginta annis; si autem in potentatibus octaginta anni, tunc amplius eorum labor et dolor, sicut fide conspicimus oculata. Cum igitur hec festinatio mortis sit contra naturam hominis etiam post peccatum, manifestum est quod ex errore hominis accidit in regimine sanitatis. Patres enim non obseruant regimen hoc, quod consistit in mediocritate cibi et potus, somni et vigilie, motus et quietis, euacuationis et retentionis, in bonitate aeris et in passionibus animi, sub quibus non solum naturales passiones, ut dolor et spes, timor et gaudium intelliguntur, sed omnis virtus et omnia genera viciorum. Nullus vero mortalis vnquam seruauit mediocritatem in hiis, nec medici nec diuites sicut nec pauperes, et ideo oportuit quod a principio corrumperentur patres in suis complexionibus et inciperet abbreuiatio vite continua vsque modo, et ideo patres corrupti genuerunt filios corruptos, et filii per eundem defectum regiminis corrumpebant se ipsos, et ideo genuerunt filios duplici corruptione corruptos, et sic multiplicata est corruptio et abbreuiatio vite, sicut videmus istis temporibus et sentimus. Cum igitur hec festinatio ad mortem sit accidentalis homini post peccatum et ex errore regiminis venit,[1] necesse est quod possit habere remedium, quia nullum accidentale est necessarium, et ideo tolli potest hec corruptio et abbreuiatio, ut homines viuant vsque ad terminos quos deus constituit

[1] venit] vite *Can*

et natura. Certe deus non instituit corruptionem regiminis, nec natura, nec ars, sed hominis stultitia et propria voluntas cuiuslibet. Et ideo naturales vite termini sunt illi quos habuerunt primi homines ante diluuium, antequam inoleuit error regiminis sanitatis, propter quod hec corruptio accidentalis remedium habet secundum artem naturalem, et hoc est quod sapientissimi sunt rimati. Considerauerunt igitur quod possibilitas est a parte nature et artis, quia nec ars nec natura deficiunt in possibilibus, quia et ars iuuat et possibilitatem perficit naturalem. Experti etiam sunt quod bruta animalia per herbas et lapides et diuersa medicamina sanant vulnera sua et restituunt iuuentutem, ut aquila, ceruus, serpens et huiusmodi plura. Qua propter sapientes antiqui estimauerunt hanc sapientiam non dari brutis nisi propter instructionem hominis, et ideo rimati sunt secreta sapientie in hac parte. Multi etiam ad hunc finem deuenerunt, et sanitatem continuam et longitudinem vite adepti sunt, sicut legimus in ystoriis et libris ceteris sapientum. Plinius vero .22°. libro capitulo de melle dicit, quod multi senectam longam traxerunt, et ponit exemplum de vno quem miratus est Octauianus Augustus, cum vltra centesimum annum animi corporisque vigorem mirabilem custodisset; et ibidem de rustico bubulco et sene narratur, qui, et hausto[1] liquore quodam quem inuenit in vrna aurea cum arauerat in campo, et lota facie et manibus, restitutus est quasi in statum iuuentutis et mente et corpore mutatus est, et propter miraculum factus est regis baiulus, et per 60 annos vltra quam debuit vitam obtinuit ex hac causa. Sed in libro de Accidentibus Senectutis refertur de vno qui 300[2] annos vixerat sanus et incolumis, vnctus quodam medicamine semel vbique preterquam in plantis, que ideo sole putruerunt, vnde ambulare non potuit sed continue equitauit. Dicitur etiam ibidem quod quidam, assumpta potione mirabili, vitam per quingentos annos et amplius protelauit. Et Arthepius gloriatur se vixisse mille viginti quinque annis, sicut in eius philosophia mirabiliter continetur. Et ego vidi plures homines fidedignos qui viderunt hominem qui magnifico medicamine sumpto vixerat nongentis et multis aliis annis et habuit literas papales in testimonium huius rei, et ego quesiui cuius etatis videbatur esse, et michi responsum est quod quasi .30. annorum, et credo quod adhuc viuat in Alemannia, quia meis temporibus visus erat. Multa autem alia fidedigna et a fidedignis audiuimus, et ideo firmiter tenemus quod hec magna prolongatio vite possibilis est et potest fieri certis modis. Sed qualiter ad hoc deueniatur, non est notum nisi a sapientissimis et paucissimis simul in vno tempore et vna etate, nec auctores medicine, in quantum habemus de proprietate sue artis, possunt ad hoc pertingere, quia non habent dare nisi curas infirmitatum et regimen sanitatis. Affirmant tamen quod possibile est deueniri ad prolongationem vite magnam et ad sanitatem continuam, licet non per regimen artis medicine, quod nullus seruat nec potest seruare mediocritatem in cibo et potu et ceteris antedictis. Et ideo

[1] exhausto (*om.* et) *Can* [2] centum *Can*

excogitauerunt autores scientiarum experimentalium, et alkimie, et perspective, astronomie operatiue, quomodo repararent defectum regiminis sanitatis, quem omnis homo contrahit a natiuitate. Et inuenerunt per experientiam, qua vtuntur bruta, preciosos lapides et herbas mirificas quibus vtuntur, quos et quas etiam cum speciebus secretis et cibis et potibus specialibus docent poni in congregatione radiorum stellarum mirifice virtutis, quarum tempus notant per astronomicam considerationem et quorum congregationem faciunt per instrumenta perspectiue, quibus possunt radii congregari per reflexiones mirabiles et fractiones mirabiliores,[1] ut ad quemcumque locum velimus, siue in mensa siue alibi, ducantur virtutes stellarum, que stellificent cibos et potus et species et medicamina et lapides et herbas, quibus vtantur homines digni sanitate perpetua et prolongatione vite, ut reparetur subito defectus regiminis quem contraximus ab infantia, et diu retardentur passiones senectutis, et cum vlterius retardare non potuerint,[2] mitigentur cum venerint, ut non inferant violentiam nature quin vltimos vite terminos comprehendat. Sed vlterius experimentator iubet alkimie preparare ei aurum calcinando et soluendo[3] ut possit vti eo in cibis et potibus quatinus possit conuerti in naturam humanam, sicut alius cibus et potus. Sic enim preparatum mirabilem effectum habet contra omnem infirmitatem, et ut sanitatem faciat continuam et ut vitam prolonget miro modo, precipue si in radiis solis et stellarum preparetur et eorum virtutem receperit, ut oportet. Diuites homines multotiens vtuntur auro contra lepram et multas graues infirmitates, sed quia non preparatur modo dicto, ideo non incorporatur humane nature, sed tamen propter eius virtutem mirabilem solo tactu suo operatur magnifice licet integrum transeat per secessum. Experimentator tamen extendit considerationem ad maiora, et iubet alkimiste, ut corpus equalis complexionis preparet sibi, in quo omnia elementa sint equalia[4] quantum ad virtutes, et non dominetur in eo ignis, sicut in colera et colericis, nec aer, sicut in sanguine et sanguineis, nec aqua, sicut in fleumate et fleumaticis, nec terra, sicut in melancolia et melancolicis, sed sit compositum ex humore equali: quod possibile est nature et arti perficienti naturam, dei gratia mediante.[5] Hoc autem corpus non potest corrumpi aliquo modo, sicut Aristoteles vult .5°. Metaphisice capitulo de potentia. Nam[6] materia naturalis in eo peruenit iam ad esse vltimum et nobillissimum, et completur eius appetitus ut nichil vlterius appetat, sicut nec materia celi; et ideo non est corruptio possibilis, quia corruptio accidit in rebus propter hoc quod forma non potest complere totum appetitum materie, et ideo semper appetit alteram formam et agentia celestia sufficiunt ad promouendum eius appetitum semper in nouam formam vsque quo inducatur forma equalis complexionis, que est vltimum

[1] *Can adds* scilicet per speculum Almukefi. [2] poterint *B*. possunt *Can*
[3] *Can adds* secundum modum traditum in libro de 5ª essentia.
[4] equalia] necessaria *B*
[5] mediante] *Can adds* et modum tradidi in libro 5ᵉ essentie omnium rerum.
[6] Nam] aut *B*

bonum nature, et hoc sufficit ad perficiendum in rebus corruptibilibus appetitum materie et tollere corruptionem et excludere in eternum. Et quod hoc non sit alienum in istis rebus corruptibilibus, dabimus exemplum in auro, quod est equalis complexionis, quia non potest corrumpi per terram nec aquam nec aerem nec ignem, sicut dicit Auicenna in libro maioris alkimie[1]: ymmo in igne, qui est maxime actiuus, melioratur aurum et purius fit. Vnde natura potest facere hoc corpus equale sicut nunc dictum est in auro, et certe de omni corpore inequalis complexionis potest fieri per corruptionem dominantis elementi, sed natura hoc non facit sine beneficio artis. Ars igitur hic perficit opus nature sicut in aliis multis, ut docet Aristoteles et scimus per experientiam efficacem.[2] Necesse est etiam quod sit possibilitas huius corporis equalis, quoniam corpora in resurrectione non possunt habere[3] incorruptionem et immortalitatem nisi per hoc corpus. Deus enim sua virtute insita de pulueribus mortuorum faciet corpus equalis complexionis ex quo constituentur corpora in resurrectione ita tamen quod subito resurget quilibet homo in tali corpore equato, et tam dampnandi quam glorificandi, ut vltra non possit accidere corruptio vllo modo. Fructus etiam paradisi sunt equalis complexionis aut prope, et Adam fuit prope equalem complexionem, et ideo per esum ligni vite potuit remansisse immortalis ut nunquam mortis nexibus subiaceret: et tamen illi fructus sunt naturales sicut alia que deus creauit, licet maiorem virtutem habeant quam alia corpora. Et forsan aurum non cedit illis corporibus cum sit omnino equale; et hoc de bonitate dei factum est, ut homo contra sua mala in hac vita remedium inueniat naturale. Et tamen intellectus hominis est potentior natura, sicut docet Auicenna 5°. de anima. Propter hoc enim naturalia non sufficiunt aut non omnino docent hominem, quia nec habet tegumenta a natura nec arma nec nutrimenta sicut bruta, quia natura perficit statum brutorum sed non potest perficere statum hominis, quia perfectio hominis est anima rationalis, que non exit in esse per naturam sed per creationem. Propter quod nichil sufficit vltima sufficientia homini quod sit per naturam, sed oportet quod fiat per artificium et intellectum, sicut docet dictus philosophus et Aristoteles eius magister in libris de animalibus prius docuit illud idem. Cum igitur experimentator magnificus preparauerit hoc corpus equalis complexionis, iubet astronomo ut ortum stellarum virtuosarum super orizonta de futuro consideret et occasum stellarum praue actionis ad illud tempus, et iubet perspectiuo ut cum adiutorio geometrie fiant instrumenta congregantia radios in quibus ponatur illud corpus equale, ut, postquam receperit virtutes mirificas stellarum, possit miro modo tollere defectum regiminis vite contractum a iuuentute et restaurare totum[4] deperditum et retardare passiones senectutis

[1] Or *De Anima* (printed Basel 1572, in *Artis Chemicae principes*: Thorndike, *Hist. of Magic*, ii. 471); cf. Brewer, *Opus Tert.* 42; Little, *Opus Tert.* 50, 81.
[2] efficacem] *Can adds* et tradidi modum in libro 5ᵉ essentie.
[3] habere *om. B.*
[4] totum] locum *Can*

et cum venerint, eas mitigare feliciter, ut vita mirabiliter prolongetur. Sed non solum hec fieri debent, sed ipsa persona, cuius cura queritur, stare debet in tali concursu virtutum celestium, et sedere sepius ac iacere; et si hec omnia fiant, non est dubium quin accidat quod vita salubris et suauis prolongetur vsque ad vltimos terminos quos deus in quolibet constituit naturales. Nunc autem per errorem regiminis et per defectum talium remediorum moriuntur ante terminos vite possibiles et per plures centenarios annorum, sicut omnis sapiens potest cognoscere ex predictis. Et si hoc maximum potest fieri, constat tunc omnia alia esse possibilia, scilicet ut homo deueniat ad magnam prudentiam et sapientiam perfectam ut sciat se et alios regere, dei gratia adiutrice. Nam Aristoteles dicit .2º. de anima et libro problematum et alibi, et videmus hoc, quod bonitas complexionis disponit hominem ad bonitatem ingenii et prudentie naturalis, et ideo, si possit bonitas hec complexionis perfici per vias dictas quantum requiri debet in hac mortalitate, tunc manifestum est quod bonitas sapientie et prudentie poterunt acquiri per vias dictas quantum sufficit homini in hac vita. Vnde ex nobilitate complexionis excitaretur et vigoraretur anima rationalis in tantum ut possit de facili scire omnes scientias, et sine difficultate et labore, non solum per alium docentem sed per sui diligentiam et studium oportunum, etiam in tantum vigoraretur potentia intelligendi in tali homine quod occulta presentia et que futura sunt et preterita magna animi nobilitate sentiret, sicut Arthepius filium regis discipulum suum posuit in radiis stellarum specialium et futura vidit et occulta per alterationem complexionis sue et vigorationem animi mirabilem etc. Item parum post experimentator igitur perfectus noscit que sunt constellationes magnarum operationum siue in bonum siue in malum, et scit quando stelle efficacium operationum oriuntur et quando occidunt et quando sunt in fortitudinibus suis et quando debilitantur vires earum respectu terre, secundum quod coniunguntur stellis aliis et secundum quod opponuntur eis et variis aspectibus ad inuicem referuntur. Cum ergo hec nouerit et de hiis bene ordinauerit, captat tempora debita et facit opera magnifica in eis in quibus conseruantur virtutes stellarum, per que alterantur homines in corpore et anima, ut in eis compleatur naturalis bonitas longeuitatis, morum, prudentie et sapientie, sicut dictum est. Et hoc est secretum secretorum et vltimum secretum. Nam cum omnia fiant per virtutem celorum, congregabimus virtutem stellarum quorumcumque volumus, et res componemus in loco congregationis que recipiant virtutem celestem quam continebunt et multiplicabunt a se per actionem naturalem, ut faciant operationes debitas constellationi in absentia stellarum, et sic contra infirmitates et pestilencias et fames et omnia mala personarum et rei publice inueniantur remedia oportuna, et sic accidit prolongatio vite sublimius quam per aliquas alias res. Nam secundum hos modos Arthepius philosophus asserit se vixisse .1025. annis. Ponentur etiam persone in loco congregationis, ut alteretur eorum complexio in omnem

dispositionem nobilem, ut non solum sint sani et longeui sed per hoc apti ingenii et prudentes naturaliter; et in tantum sublimentur persone eorum ut cognoscant futura et occulta presentia et preterita. Sic Arthepius puerum regalem constituit in radiis stellarum et prophetauit. Et hic modus cognoscendi futura et occulta excedit omnes alios modos superius tactos et modos astronomie. Nam omnes illi modi fiunt per considerationes aliquas circa stellas vel alias res huius mundi, que sunt cause vel signa rerum futurarum vel presentium vel preteritarum. Hic autem modus non est sic, sed ipsa complexio in tantum sublimatur per virtutes radiorum mirabiles, et per consequens tota persona hominis, ut substantia anime clarificetur et eius potentia vigoretur ad cognoscendum ex sua potestate ad modum prophetantium sine consideratione aliarum rerum, que sunt cause vel signa futurorum et ceterorum ocultorum; et hanc cognitionem in Centilogio vocat Ptolomeus cognitionem ex se. Nam ex se habet anima cognitionem preter stellarum considerationem, quod probat per epilenticos et sompniantes et alios, qui multa ex se, i.e. ex potestate anime, vident. Et hec cognitio est melior alia ut dicit. Verumtamen intendit quia dupliciter fit hec cognitio secundum se, vno modo per considerationem hanc, alio modo per diuinam inspirationem, et hec est optima; et per harum operationum potestatem possunt animalia bruta inclinari ad hominis voluntatem, et darent se hominibus, et congregarentur sicut opus esset, et quam plura alia mirabilia possunt hic fieri, de quibus longum esset enarrare. Ymmo ut breuiter dicam, omnia fieri possent que humano generi sunt necessaria in hac vita. Item experimentator imperat geometrie ut figurationem circuli[1] elliciat, a cuius superficie reflectantur radii omnes ad punctum vnum qui in illam cadunt, non sicut a speculo concauo sperico, a quo soli reflectuntur ad punctum vnum qui in vnam circulationem incidunt circa axem, et ideo primum speculum, si fuerit sufficientis quantitatis et figurationis debite, potest producere ignem infinitum et in omni distantia quam volumus. Per huiusmodi enim speculum possunt congregari radii stellarum virtuosarum, ut fiant sublimes operationes et utilissime in hoc mundo, etc.

II

Amploniana, 4°, No. 215, fol. 79ᵛ ff.[2]

Frater Rogerus Bacun de diebus creticis.

Ad evidentiam dierum creticorum est notandum, et primo de notificatione diei cretici,[3] unde sciendum est secundum Galienum, quod dies creticus est, in quo frequenter fit crisis ad bonum vel indicatur fieri; hic notantur

[1] circuli] speculi *Can*
[2] Ed. by Dr. F. Palitzsch, see Introduction, Part I, § viii.
[3] In this and occasionally in other passages in the MS. 'dies' is treated as feminine; in the printed text this has been altered and the masculine uniformly adopted.

duo genera creticorum, scilicet indicativum et judicativum. Secundo est notandum de cognitione creticorum, unde notandum est, quod duplex est via deveniendi in cognitionem creticorum, scilicet via experimenti et via rationis. Sed quia experimentum fallax est, nisi ratione fuerit vallatum, oportet cavere, ne fiat error in acceptione principii aegritudinis penes experimentum, secundo ne fiat error in processu, tertio ne fiat error in cognitione finis. De primo est cavendum sive notandum secundum Ypocratem, quod oportet medicum non ignorare principium; item nono dicit, quod ignorata prima unitate ignoratur et totus numerus; ideo oportet cognoscere horam, in qua quis cessavit a consuetis operibus. Unde sciendum, quod septimana medicinalis non durat nisi per 6 dies et per 17 horas et dimidiam horam; ideo si hora principii febris sit hora meridiei, non incipiet crisis, si fiat in septimo die eadem hora, sed anticipabit per 7 horas. De secundo est considerandum, ne fiat error in processu, nec a parte medici, immo quod sit diligens in operatione et prudens in arte, nec fiat error a parte patientis, immo quod sit obediens, requiritur, et de salute indubitanter confidens. Unde dicit Avicenna, quod plus facit confidentia infirmi in medicum ad curam, quam medicus cum suis instrumentis. Item Galienus super principium pronostici: Ille medicus plures sanat, in quo plures confidunt. Considerandum est etiam, ne fiat error a parte assistentium in administratione sex rerum non naturalium. Tertio considerandum est, ne fiat error a parte finis, quia potest contingere, quod crisis continuetur a sexto die in septimum, et sic nescitur, cui attribuatur crisis. Propter quod oportet considerare proprietatem circuitus paroxismorum, ut si currat per dies pares, debet attribui pari diei, ut sexto, si per impares, septimo. Quod si attribuatur diei sexto, pronosticandum est ad malum, quia in sexto raro est ad bonum, sed vel ad malum simpliciter, vel ad recidivum, vel terminatur in apostema, vel alio modo male. Si attribuatur septimo diei, ad bonum saltem, si fiat cum debitis circumstantiis, scilicet cum fortitudine virtutis, et si praecesserint signa digestionis, et si fiat per sudorem, quod sit universalis, vel saltem pro majori parte universalis, et sic de aliis conditionibus crisis. Similiter in fine isto oportet considerare tempus, et notandum, quod iste finis habet tria tempora, scilicet tempus aestuationis et commotionis, tempus principii evacuationis materiae et tempus consumptionis materiae. Similiter oportet considerare pluralitatem horarum in crisi, unde tota crisis ad plus secundum Avicennam durat per 20 horas, unde si incipiat sexto die et terminetur in septimo, tunc crisis attribuitur diei plurium istarum horarum. Similiter cognitio crisis habetur via rationis et hoc a radice superiori vel inferiori. A radice superiori, ut a motu Solis et Lunae et specialiter Lunae, quia per motum Solis attenditur crisis sive terminatio morborum chronicorum, per motum Lunae morborum acutorum. Quia, sicut princeps habet definire et determinare causas arduas, ita sol tamquam rex inter planetas etc. Luna vero comparatur ballivo, qui habet terminare

causas minores, et sic Luna morbos breves. Oportet etiam considerare radicem inferiorem, si adhaereat viae uni et ordini uni, qui ordo attenditur inter conflictum naturae et materiae morbi. Quoniam, si motus inter materiam morbi et naturam sit uniformis, potest fieri pronosticatio penes illam radicem, aliter vero non. Et sicut cretici proprie dicti proveniunt a radice superiori, sic dies cretici intercidentes a radice inferiori.

De distinctione temporum sive dierum crisis: Scilicet dies cretici quidam sunt judicativi et sunt in fine septimanarum, et horum quidam sunt fortiores ut septimus et decimus quartus, quidam sunt debiliores ut vigesimus. Quidam sunt dies cretici intercidentes et horum quidam sunt fortiores, ut quartus, undecimus, quidam debiliores, ut vigesimus quartus. Tertium est genus dierum intercidentium[1] et quidam horum sunt praeoccupantes, [80^{r}] ut sextus respectu septimi, et quidam suboccupantes, ut octavus respectu septimi; sic est de aliis praeoccupantibus vel suboccupantibus.

De mense medicinali est considerandum, primo de ejus compositione. Verumptamen sciendum est, quod multiplex est mensis: (1) scilicet vulgaris constans ex 28 diebus, habens 4 septimanas integras precise, (2) est mensis calendarii et iste aliquando continet 30 dies aliquando plus aliquando minus; tertio modo est mensis solaris et est spatium, in quo sol movetur in uno signo et continet 30 dies et 10 horas et dimidiam; quarto modo sunt menses lunares ut ex his sunt 12 in anno, et dicitur mensis iste mensis consecutionis, et est totum illud tempus, quod est inter conjunctionem unam et aliam, continens 29 dies cum dimidia, et de illis non est curandum nunc. Est etiam nunc (5) mensis peragrationis in quo peragrat 12 signa et continet 27 dies cum horis 8, et est (6) mensis manifestae visionis, in quo apparet aliquid de lunae facie illuminata et continet 26 dies cum dimidia. Et ex his duobus ultimis mensibus componitur (7) mensis medicinalis, scilicet accipiendo de totali summa, quae excrescunt post 26 dies in uno mense et in alio, mediam partem, quia si ipsius mensis peragrationis vigesimus septimus dies dividatur in 24 horas 12 horae remanebunt ex parte una, similiter remanebunt horae excrescentes mensis peragrationis et visionis, sunt 20 in universo, unde istis divisis per pares partes duas cum duodecim praedictis in universo erunt 22 horae, et ita mensis medicinalis continet 26 dies et 22 horas.

De compositione et ratione ejus si quaeratur causa, soli deo est ascribenda secundum Galienum in tertia particula de creticis diebus. Verumptamen ratio aliqualis hujus compositionis potest esse, quia penes mensem peragrationis consideramus influentiam, quam accipit per applicationem ad stellas diversas, per mensem manifestae visionis consideramus, quid accipit a Sole, quia in prima quadra dicimus, quod est calida et humida, in secunda calida et sicca, et quia per mensem medicinalem debemus considerare influentiam, ideo partem utriusque mensis, scilicet

[1] Clearly a mistake for 'indicativorum'.

